Anatomicus curiosus theodidaktos hoc est: methodus secandi cadavera Hippocratica Democritaea ... / [Barthold Kruger].

Contributors

Kruger, Barthold, 1653-

Publication/Creation

Brunopoli : Literis Henrici Kesleri, 1700.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/asvnmb74

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

KRUEGER, B.

62709/B

ff
g 27

O
C. 15.

62709/13

T8

J. N. R. J.

ANATOMICUS CURIOSUS ΘΕΟΔΙΔΑΚΤΟΣ

Hoc est:

METHODUS ſecandi cadavera HIPPOCRATICA Democritæa.

AUTORE

BARTHOLDO KRVGER U. M. D.

Auguſtinus:

Domine JESU, da mihi noſſe me & noſſe Te.

LONDON MEDICAL SOCIETY

ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ.

BRUNOPOLI,
Literis HENRICI KESLERI,
ANNO C. M CCCM.

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

DN. AUGUSTO WILHELMO JUSTO. PIO. PRUDENTI, DUCI BRUNSVICENSI & LUNÆB.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

Monumentum hoc Anatomicum
humillimè consecrat

AUTOR

Anatome se ipsum noscendi Magistra.

SERENISSIME PRINCEPS, Domine Clementissime

ΑΡΙΣΤΟΝ ὑγιαίνειν dixerunt veteres; qvia integra corporis valetudine frui homini ad cæterarum in hâc mortali vitâ usum nihil magis necessarium. Qvid principatus, qvid honores, divitiæ, qvid denique virtus, ac disciplinæ omnes, si hisce fruendi desit facultas? ob usum enim qvidqvid possidemus bonum judicamus, is si absit etiam maxima nullius pretii sunt: minima verò bona si commodè iis frui liceat maximi pretii existunt. Qvid qvæso ægroto regna, divitiæ, honores, sapientia aliæque animi dotes excellentes. Qvid mens sana corpori infirmo commodi præstat, nisi qvod intellectu calamitatis suæ, in qvâ versatur & metu mortis magis excrucietur. Qvamobrem graves causæ sunt, qvod sanitatem perfectam omnibus corporis donis præferamus, ac infelicissimum judicemus, qvi eâ destituitur. Est enim bona

corporis valetudo cæterorum bonorum omnium perfectio, qvâ ſine in vitâ nullum ſolidum, aut integrum exiſtit gaudium. Hinc medicina, qvæ ſanitatem præſentem tuetur & amiſſam reſtituit, apud omnes etiam barbaros homines omnibus ſeculis in magno fuit pretio.

Maximè verò ea medicinæ pars, qvæ ἀνατομὴ dicitur, & partium humani corporis fabricam explicat, qvam olim reges principesqꝫ ſtudiosè coluerunt, qvos neqve puduit publicè ſectionibus manus adhibere, & freqventer iis intereſſe ac præeſſe, ut de Hippocrate legimus, qvi ab Æſculapio & Hercule oriundus hanc artem per manus familiæ ſuæ tradidit, ut eam à majoribus ſuis magna ex parte acceperat. Idem de Arabum regum familiis legimus, qvi vaſtata Græcia, & diſciplinis ac ſtudio medico extincto; ſummâ diligentiâ hanc artem excolere & exornare ceperunt, qvemadmodum ex ipſorum ſcriptis, qvæ à principibus viris maxima ex parte collecta & conſcripta ſunt, videre nobis licet. Etenim qvid opus eſt exemplis hujus artis divinæ dignitatem & majeſtatem commendare, cum per ſe ſatis digna ſit qvæ ametur, & ab omnibus colatur, ſiqvidem in contemplatione ejus corporis & objecti verſatur, qvod ad Dei omnipotentis imaginem conditum eſt, in qvo radii lucent divinæ ſapientiæ, Deiqve organum eſt: Divini igitur corporis ſtructuram inveſtigare & demonſtrare divinum eſt opus. Verè ac piè, & ſi ethnicus fuerit, Galenus *lib. 3. De Uſu partium cap.* 10. vocavit ἱερὸν λόγον, & verum conditoris noſtri ſpeculum anatomen humani corporis, exiſtimatqve in eo veram eſſe poſitam pietatem ſeu Θεοσοφίαν. Si qvis hanc artem primus noverit aliisqve demonſtraverit, qvænam ſit ipſius conditoris in fabricâ hujus corporis ſapientia, virtus & excellentia: qvod enim cultû conveniente omnia exornare,

ornare, nihilqve ſuis beneficiis privatum eſſe voluerit id perfectisſimæ bonitatis ſpecimen eſſe hoc loco ſtatuit Galenus. Convincimur enim ex contemplatione fabricæ hujus, partiumqve omnium uſu, divinum fuiſſe hujus operis Architectum, qvi ſingulari & ſapientiâ, & arte inſigni omnes particulas ita efformavit & diſpoſuit, ut aptiùs & præclarius uſuiqve accommodatiùs inveniri & excogitari potuiſſet nihil. Si qvis eſt mundi ornatus & utilitas (ut profectò eſt maxima) præſtat ſanè his omnibus corpus humanum, qvod propterea μικροκόσμον nominârunt ſapientes; qvod in unum hominem, totius mundi elegantiam, ornatum ac ſapientiam concluſerit DEUS optimus maximus. Qvis igitur hoc opus non admiretur divinum? hominem ſanè haut dixeris, qvi hujus notitiâ non ducatur, afficiatur aut delectetur. Etenim aliarum rerum contemplationi operam dare, ſui autem ipſius, nullam habere notitiam, aut ſeipſum ignorare, turpisſimum eſt, ut habet oraculum Delphicum; γνῶθι σέαυτον: qvod non ſolùm ethicè, ſed & phyſicè intelligendum eſſe arbitror. Docet enim nos ipſa corporis ſtructura, de humanæ naturæ fragilitate qvàm levi momento homo animal divinum in gravisſimos incidat morbos, ſi corporis negligentior fuerit, qvos maximos etiam ut ſæpiùs notitia ſui facilè evitare, (in diæta) ita in eosdem negligentiâ ſui incurrere in proclivi eſt. Qvare pias mentes hæc doctrina primò ad DEI creatoris univerſi reverentiam, & veram pietatem, deinde ad vitæ temperantiam & modeſtiam exſuſcitat, commonetqve ne ſacrum illud Dei domicilium improbis ac turpibus flagitiis polluamus, proſtituamus, aut temerè profanemus, ſed ſacroſanctum corpus piis uſibus religiosè deſtinare ſemper ſtudeamus, ne Spiritum S. hoc ſuo domicilio protervè excutiamus. Ad ſanitatem tuendam

non mediocriter nos juvat. Is siqvidem cui corporis proprii natura nota & perspecta est, (qvemadmodum architecto domus, qvam exstruxit) si contingat corpus vitiari, facilius, ac melius id reparabit, & morbos effugiet qvam alius, cui corporis ratio ignota est; qvia cujusqve sanitas ex notitiâ sui maximè dependet.

Memini Vestr: Celsi: ex me sæpiùs de interioribus humani corporis partibus curiosè qværere, qvod mihi facit spem hanc methodum secandi, qvâ paucis universam anatomen complector Seren: Vestr: ut honestarum artium ac disciplinarum omnium Mœcenati liberalissimè gratum & acceptum fore, utqve sit reverenter oro.

Postremò Deum Opt: Max. Vestr: Seren: ut diu incolumem conservet omnibus bonis animi & corporis Illustrem, ac insigni laude pietatis, justitiaqve florentem tueatur toto pectore oro, ut Vestr: Celsit. anchora sacra salutis publicæ vigeat & contrà adversarios consistat. Brunopoli die 1. Jan: A. C. 1700.

Vestr: Seren:

Humillimus Medicus

Bartholdus Krvger D.

Illustrissimi & Seculi Moderni Consummatissimi Medici, Excellentissimi Dn. GEORGI WOLFGANGI WEDELI; Sacri Palat: Cæs: Comit: M. D. Hæreditarii in Schwartza. Consiliarii & Archiatri Saxonici, P. P. Domini Patroni Clementissimi Censuræ Anatomicum Curiosum seu Metodum secandi offero:

Ut debitum monumentum pro gratiosissimâ informatione tàm publicâ, qvàm privatâ, & privatissimâ. (Domesticâq;.)

Lecturis, qvibus seipsos noscendi cupido cordi est,
S. & O.

(*Speculum microcosmi repræsentat Christus crucifixus.*)

QVantam humani corporis inspectio tùm in qvôvis studiô, tùm maximè medicô, utilitatem de se spargat, notorium est.

Id tamen maximè, qvi in anatomia hospites, non dicam stipites multorum hominum strage funerumqve freqventiâ, ast post festum, (*scilicet poliatri*) testantur, qvantulùm nempè sit, qvod sciunt; qvantùm autem ex adversô, qvod ignorant (*Doctores Bullati*) (*vid. Paracelsus L. singulari de Poliatris.*) *Nobis cadaveris humani contemplatio sit religiosa vitæ nostræ speculatio.*

Mens, *cristas erigere aliosq; contemnere, prona; in vili, caducô & fragili se hospitari diversorio, vel momento relinqvendô, cogitet, ac divinæ particeps auræ terrena despiciat, divina semper meditetur, nec qvidqvam, nisi conditori gratum, concipiat.* Corpus; *hominem animal divinum constituens, immortali ac divinô sese dignum gerat hospite, nec membra in injustitiæ peccatorumq; ministerium commodet, fragilitatis suæ, cui nullo non temporis punctô expositum vivit, semper memor.* Capilli: *fluxilium vanarumq; curarum & cogitationum fantasmata abjicienda nobis demonstrent, gnaris, neq; crinem de capite nostro sine Patris cœlestis indultû in terram prolapsurum.* Frons *exporrecta candorem & benevolam proximo promptitudinem semper testetur; corrugata scelerum præ se ferat fastidium.* Cerebrum *divina mentis nostræ arx, circumspectam in actionibus prudentiam piamq; industriam nobis commendat, ne tàm facilè à probô nostrô instituto vertigine qvâdam deturbemur; aut altum securitatis lethargum nobis obrepere patiamur.* Oculi *fugiant irritamenta libidinum hinc indè vagantium; & in superno corporis locati (vigiliarum loco) superna contemplentur, & universi hujus contemplatione (ἀνεξερεύνητον) inscrutabilem Creatoris sapientiam, omnipotentiam (creandi ex nihilo) prudentiamq; admirandam animo suppeditent (receptione per divinam imaginem) qvasi speculum animæ & animi.* Aures: *æqvis proximi opem nostram qværentes desideriis patulæ sint semper, non obseratæ: sed mysteria divina audientes (dies noctesqve.)* Nares: *rerum novarum pruritu abstineant.* Os & lingva *ad impia & veris Christianis indigna obmutescant. (Qvæ auribus piis indigna sunt, ex ore pio non egrediantur.) Soluta sint in hymnis ac piis Votis Deo reddendis, divinisq; modul ationibus simul inserviat palatum (epiglottis: plectrum vocis.)* Collum *intuentes fastuosas & elatas cervices humiliandas & divini obseqvii*

jugo

jugo subjiciendas recordemur. Pectus *uti corporis nostri sanctuarium, ita continua in illo precum thura bonæ odores fragrantiæ spirantia perpetim halent.* Dorsum *mundi vanitatibus aliisq; blandimentis & illecebris obvertamus (tanqvàm renati per verbum & Spiritum S.)* Stomachus *Bacho & Cerere plus æqvo inebriatus, ad meliorem sobrietatis & temperantiæ frugem reducendus (siqvidem inediâ & temperantiâ multi præservantur morbi.)* Viscera: *ut sumtum per os alimentum præparant, digerunt, ex eoqve laudabile attrahunt; inutile eliminant (exernendo) ita lecta & audita probare, probata tenere & in succum & sangvinem convertere; inutilia futiliaqve ast ventis super æqvora portanda per mare tradere decet.* Hepar & Lien; *sangvinis & seri depurationi præprimis inservientia viscera, mutuasqve sibi operas qvasi cooperantia in opere secundario sangvificationis &c. nobis qvoq; invicem subveniendi, oneris partem sublevandi & suum cuiq; tribuendi pii nos admonent officii; nec ob levia proximi errata bilem statim commoveamus (p.n. effervescentiâ.)* Cor *officina sangvificationis & generationis spirituum vitalium; maneat in æternùm officina Spiritus S. qvi est archæus & præses perpetuus microcosmi.* Renes *in abditis licet, intimis & undiq; munitis occulti lateant latebris, Deum scrutatorem omnium adorare debent.* Genitalia mascula: *mares nos esse monent; hoc est: fortes, alacres, cordatos, ne duris frangamur, felicibus efferamur, sed muneri demandato ita præsimus, ut Deo fidamus unicè: Fidentem nescit deseruisse Deus. Æqvum observemus, neminem (rectè faciendo & piè vivendo) timeamus!* Muliebria: *nostram nobis demonstrant originem domum limô & ⊡ urinâ circum septam. Arrogantes ergò sublimia qvid attollimus supercilia?* Manus *nostræ sunt oculatæ, credunt qvod vident; avaritiam rabidô cane pejus & angve fugiant: (tanqvàm radicem omnis mali!) bonum ac utile conficiant, ad egenorum solatium. Puræ ad honorem Dei eleventur in oratione Dominicâ: puræ serventur conscientiæ & vocationi nostræ.* Pedes *ambulent innocentes in viis Domini sanctaqve Dei tabernacula freqventare gestiant. Firmi stemus in veræ pietatis semitâ non titubanter aut vacillantes. (Pietas ad omnia utilis & habet divinam promissionem hujus & æternæ vitæ.)* Calcaneus *infirmitatem nostram & innatum mundi amorem nobis inculcat; qvem ut Christus nobis eximat; (Per mortificationem spiritualem seu imitationem passionis & mortis Christi vid: D. Tomas à Kempis.) Qvi seqvitur me nunqvam ambulat in tenebris dicit Dominus: atqve infernalis serpentis morsus, illecebrasqve avertat dissipetqve; ardentibus ipsum debemus solicitare suspiriis. Ecce! instrumenta bonorum operum qvæ fluunt ex verâ pietate & confirmant fidem. Ad pias hasce meditationes manu qvasi ducimur corporis nostri speculatione. Sapienti sat!*

MYOLOGIA.

Nomen:	*Initium:*	*Insertio:*	*Usus:*
Frontales:	*ab initio pilorum frontis:*	*in supercilium:*	*rugant frontem.*
Occipitales:	*à medio ossis occipitis:*	*ultrà suturam lamdoidē:*	*rugant cutem occipitis.*

Palpebrarum:

Elevatores:	*à foramine orbitæ oculorum:*	*in Tarton palpebræ:*	*elevant palpebras.*
Constrictores superior:			
Constrictores inferior:	*circumduc: orbitæ ulteriùs:*	*ad latitudinem.*	*constringunt oculos.*

Nasi:

Elevatores recti:	*à summitate nasi:*	-- --	*attollunt.*
Elev: obliqui communes labio:	*à 1mo osse maxillæ super:*	*in ejusdem alas*	*attollunt obliqvè.*
Dilatatores:	*Circumducuntur alis nasi:*	*internè:*	*dilatant* } *nasum.*
Constrictores:	-- --	*externè:*	*constringunt* }

Oculorum:

Superbi:	-- -- -- -- -- --		*attollunt.*
Humiles:	*intrà orbitam circà:*	*ad iridem oculi:*	*deprimunt.*
Bibitores:	*nervum opticum:* -- -- -- --		*adducunt.*
Indignatores:	-- -- -- -- --		*abducunt.*
Amatores superiores; ibid: ast firmantur trochleari: ligam: in 3. osse max: sup:			*obliq3 elevant.*
Amatores inferiores; in secundà suturà inorbità:		*ad iridem.*	*obliq3 deprimunt.*

Auris externæ:

Levatores:	*à frontali musculo:*	*in auris part: sup: anteriùs.*	*obliq3 anteriùs elevant.*
Lateralis 3. portionū:	*ab occipitali musculo:*	*in auris partem posteriorem.*	*posteriùs movent.*

Auris internæ:

Externus:	*Ex memb: in meatu auditorio.*	*fertur in tympanum:*	*Trahit tympanum exteriùs.*
Internus:	*reconditus intrà os.*	*in cervicem mallei.*	*Malleum trahit, attollit.*

Labiorum:

Levatores communes naso:	-- -- --		
Levatores alii duo:	*à qvarto osse max: superioris;*	*in labium superius;*	*attollunt labium.*
Depressores primi:	-- -- --		
Depressores secundi;	*à margine inf: max: inferioris;*	*in labium inferius:*	*deprimunt.*
Levatores s. adductores:			
Zygomatici s. jugales:	*ab initio processûs Zygomæ.*		*attollunt* } *os.*
Basiatores:	*Circumduntur ori.*	*in labium superius:*	*constringunt* }

Nomen:	Initium:	Insertio:	Usus.
Maxillæ inferioris:			
Crotafites, Temporales,	ab osse temporum:	in processum maxillæ infer:	attollunt maxillam inferiorem.
Masseteres, Laterales,	ab osse jugali:	in margin: infer: maxillæ inferioris;	
Digastrici, Biventres,	à processu maxillæ formi:		
Quadratis. platysmamyodes:	à scapulà, clavi spinâ & 3. pectoris costa;	in menti partem internam in maxillam inferiorem	deprimunt eam.
Pterigoides interni;	à processu alari externo:	in processum condylum	Rotant eam.
Pterigoides externi;	à processu alari interno:	in partem post: maxillæ inf:	
Buccinatores;	à maxillà superiori:	in inferiori maxill: internè:	intrò pellunt genam.
Capitis communes:			
Splenii:	à 5. spinis toracis & 5. cervicis;	in occip: propè processf: mastoideum:	erigunt caput.
Complexi:	à 1. transversâ torac: & 4. cerv:	in occip: latè ad dict: processf:	
Recti majores;	à secundà spinâ cervicis:	in occiput	
Recti minores;	à tuberculis primæ:		
Obliqui superiores:	à medio occipite:	in processum transv: primæ	
Obliqui inferiores:	à spina 2. 3.	in transversum primæ;	circumag. cap.
Mastoidei:	à capulà sterni, carne claviæ;	in processf: mammiformem;	flectunt caput.
Cervicis:			
Transversales:	à 6. toracis transv: processibus:	in transversos cervicis.	Tendunt cervicē
Spinati:	à 7. toracis & 5. colli spinis:	in 1. cervicis spinam.	
Longi:	à vertebris inferioris colli:	in ejusdem superiores.	flectunt cervicē.
Scaleni:	à primâ pectoris costâ anterius:	in colli vertebras anteriùs.	
Toracis anteriùs:			
Pectorales:	à clavic. 5. & 6. costâ:	in mediū humerum adduc:	humerū introrsū.
Serrati antici super:	à 2. 3. & 4. costâ:	in processf: ancyroid. adduc:	scapulam pectori.
Serr: antici inferiores:	ab 8. costis intermediis:	in basin scapulæ:	adducunt scapulam.
Subclavii:	à margine latiori claviculæ;	in primam costam ad sternum.	
Intercostales externi:	à margine inferiori costæ super:	in marg: sup: costæ inf:	inserviunt inspir: exspirationi.
Intercostales interni:	à margin: superiori costæ infer:	in marg: inf: costæ sup:	
Toracis posteriùs:			
Latissimus dorsi:	ab costâ usq; ad os sacrum;	infrà caput humeri:	hum: abduc: dorsumq; parùm invertunt.
Serrati postici super:	à 1. spina toracis & 3. cervicis.	in 3. superiores costas	elevant cost: propter inspir: erigunt totum corpus.
Serr: postici inferiores:	à 3. ultimis toracis spinis:	in 4. ultimas costas	
Sacrolumbi:	ab osse sacrô --	in quamvis costam suis tendinibus	
Longissimi:			
Semispinati:		in quemlibet processum spinatum	
Lumborum:			
Sacri:	ab osse sacrô externè:	in processf: transversos vertebræ lumborum:	erigunt vertebras lumbor:
Quadrati:	ab osse sacrô & ileô internè:	in ultimam toracis costam:	depr: ult: costam.

Nomen:	Initium:	Insertio:	Usus:
Abdominis:			
Obliq. descendentes:	à costis ubi desinit serratus:	in ileum & lineam albam.	Comprimunt partes abdominis internas.
Obliq. ascendentes:	ab ileo:	in costas inferiores & lin: alb:	
Transversales:	à processibus transv. lumb:	in lineam albam.	
Recti:	ab osse pubis:	in cartilaginem mucronatã.	
Pyramidales:		in lineam albam.	
Artuum & scapulæ:			
Cucullares:	ab 8. spinis tor. omnibusq. cervicis:	in clav: hum: scap: spin:	trahunt sursum deorsũ (transversùm.
Rhomboides:	à spinà 1. toracis & 3. cervicis:	in basin scapulæ.	retr: elevando scap: parũ.
Levatores:	à transvers: 2. 3. & 4. cervicis:	in angulũ sup: scapulæ:	elevant scapulam.
Humeri:			
Deltoides:	à clavic: summo hum: spin: scap.	in medium humerum	elevant humerum.
Coracoides, ancyroides:	ab ancyroide processu:		
Rotundi major:	ab angulô inferiori scapulæ:	infrà caput humeri.	deprimunt parũ versùs posteriùs.
Rotundi minor:	à cervice scapulæ:		
Suprà spinati:	à basi scapulæ juxtà spinam:	in 5. Ligamentum.	conjungit humerum
Infrà spinati:	à basi spinæ infrà:	in 4. ligamentum.	circumagunt humerum.
Immersi; inf: scapulares:	à basi; ast externè:	in 3. ligamentum.	
Cubiti:			
Bicipites:	ab acetabulo & processû ancyroide:	in olecranum seu cubitum.	flectunt ulnam.
Brachiei interni:	à medio humero:	in ulnam & ligamentum.	
Longi extensores:	à cervice scapulæ & infrà caput:	in olecranum.	extendunt cubitum.
Breves:	à medio humero:		
Radii:			
Rotundi: (Pronatores)	à tuberculo interno humeri:	in medium radium.	Pronant.
Quadrati: (Pronatores)	ab ulnæ parte infernâ internâq.:	in radii partem int: inferiorẽ	
Longi: (Supinatores)	à medio ferè humero:	in radii partem infernam	supinant.
Breves: (Supinatores)	à ligam: humeri & capite ulnæ:	in medium radium	
Anconei; brachiei externi:	ibidem:	in ipsam ulnam:	[extendunt cubitum.]
Carpi & metacarpi:			
Flexores interni:	à tuberculo humeri interno:	in osficula carpi.	
Flexores externi:			
Palmares:		ad digitorum radices.	
Extensores interni:	à tuberculo humeri externo:	in ossa metacarpi.	
Extensores externi:			
Digitorum:			
Perforantes 4.	à tuberculo humeri interno:	in tertium internodium.	
Perforati 4.		in secundum internodium.	
Lumbricales 4.	ab utrisq. suprà dictis:	in primum.	
Extensores 3. internodii:	à tuberculo humeri externô:	in 1. & 2. internodium.	
Extens: 2. 4. internodii:			
Interossei interni 3.	inter ossa metacarpi:	in 1. & 2. internodium.	
Interossei externi, 3.			

Nomen:	Initium:	Insertio:	Usus:
Pollicis:			
Flexor 3tii internodii nõ: 1.	*à medio radio:*	--	*in tertium internodium.*
2di: nõ: 2.	*à ligamento annulari:*		*in secundum.*
1mi: nõ: 4.	*ab ossibus metacarpi transversè:*		*in primum.*
Extens: 2di estq; nõ: 2.	*à mediô radiô:*		*in primum & secundum.*
Adductores: nõ: 1.	*à metacarpo indici subjecto:*		*in primum pollicis.*
Indicis:			
Indicatores: nõ: 1.	*à mediô cubitô:*	--	*in secundum internodium.*
Auricularis:			
Abductores: nõ: 2.	*ab ossibus carpi:*		*in primum internodium.*
Adductor specialis:	*ab osse ei subjecto metacarpi:*		
Pedum & femoris:			
Psoas:	*ad 2. toracis & omnium vertebr: lumb:*	*in rotatores minores:*	*flexores 4. femoris.*
Iliaci interni:	*à supercilio ilei interni:*		
Tricipites:	*ab osse pubis & coxendicis:*	*in lineam asperam.*	
Lividi:	*inter secundum tuberculum & os pubis:*	*in medium femoris:*	*adducunt.*
Glutei majores:	*à supernâ & post: ilei regione:*	*in medium usq; femur:*	*extensores tres.*
Medii:	*à mediâ:* --	*in rotatorem majorem:*	
Minimi:	*ab infernâ:*	*ibidem.*	
Pyriformis:	*ab osse sacro:* --	*in cavitatem rotatoris*	*Circumactores 4.*
Obturat: externus:	*à foramine pubis externè:*	*in rotatorem majorem:*	
Obturator intern:	*à foramine pubis internè:*		
Quadratus:	*sub foram: ab osse ischii & pubis;*	*sub rotatore majore.*	
Cruris:			
Membranosi:	*ab osse ilei anteriùs superiùs;*	*in totum crus & femur:*	*extensores tibiæ quinq;*
Recti:	*à tuberculô secundô ilei;*	*sub genu.*	
Vasti interni:	*sub rotatore internè:*	*infrà patellam:*	
Vasti externi:	*sub rotatore externè:*		
Crurei:	*inter duos rotatores:*		
Fasciales, sartorii:	*à tuberculo primo ilei:*	*infrà patellam.*	*flexores tibiæ quinq;*
Graciles:	*à suturâ ossis pubis;*	*sub genu (uti Sartorius:)*	
Semi nervosi:	*ab osse coxendicis:*	*sub genu:*	
Semi membranosi:			
Bicipites:	*ab osse pubis & coxendicis, alt: cap: à medio ferè fem:*		
Suppoplitei:	à fibulâ externè seu à parte: internâ tub: anterioris femoris:	*in tuberculum internum:*	*obliq; tibiam movet.*

Nomen:	Initium:	Insertio:	Usus:

Tarsi & Metatarsi:

Tibiales antici:	à sup: tibiæ & fibulæ tubere:	in os metatarsi pollici subjecto:	flectunt tarsum.
Peronei secundi:	à mediâ fibulâ:	in os tarsi:	pedem suprà tib:
Tibiales postici:	inter tibiam & fibulam;	in os metatarsi minimo subjectũ;	obliq; movent deorsùm & internè.
Peronei primi:	à tibiæ appendice superiori:	in os tarsi quod pollici nectitur;	obliq; mov: deorsùm externè.
Gasterocnemii:	ab int: & externo capite fœmoris interno:	in os calcis:	extendunt tarsum.
Solei:	à tibiâ inferiùs:		
Plantares:	ab internô capite inferiori femoris:		

Digitorum:

Extens: 3. internodii:	inter tibiam & fibulam:	in tertium internodium:	extendunt digitos.
-- 2di internod:	à ligamento annulari:	in secundum:	
Interossei: externi 4.	inter ossa metatarsi:	in primum & secundum:	extendunt, adducunt & abducunt.
-- interni 4.			
Perforantes 4.	inter tibiam & fib: posteriùs:	in tertium:	flectunt digitos.
Perforati 4.	à ligamento annulari:	in secundum:	
Lumbricales 4.	ab utrôq; --	in primum:	
Portio carnosa:	ab osse calcanei;	in initium lumbricalium.	

Pollicis:

Adductor unus:	à ligamentô calcis interiùs:	in primum internodium.
Adductor major:	à ligam: metatarsi digiti:	in primum internodium interius.
Add: transversalis:	à ligamento minimi digiti:	eodem loco.
Flexor propius: / Extensor proprius:	à mediâ fibulâ: posteriùs: / anteriùs:	in secundum internodium:

Minimi digiti:

Adductor proprius:	ab osse calcis; --	in secundum internodium.

Ossis hyoidis:

Sterno hyoideus:	à sterni parte internâ:	in os hyoides.
Coraco-hyoideus:	ab angulo superiori scapulæ:	
Stylocerato hyoideus:	à processû styliformi:	
Genio hyoid: externus: / Idem internus:	à menti parte internâ:	

Tyroidis seu scutiformis:

Sternothyroidei:	à sterni parte internâ:	in partem internam thyroidis.
Hyothyroidei:	ab hyoide:	
Cricothyroidei:	à Cricoide:	

Nomen:	Initium:	Insertio:	Usus:

Arytenoidis:

Tyroarytenoidei:	ab internâ parte Thyroidis	in arytenoidem.
Cricoarytenoidei postici:	à cricoide posteriùs:	
Iidem laterales:	à cricoidis latere:	
Arytenoideus:	inter arytenoides:	

Lingvæ:

Styloglossi:	à Styliformi processû:	in lingvam.
Basioglossi:	à basi ossis hyoidis:	
Ceratoglossi:	à cornubus ejusdem:	
Myloglossi:	à dentibus molaribus:	

Oesofagi:

Stylofaryngæi:	à styli formi processû.
Cefalofaryngæi:	ab osse sfenoide.
Sfenofaryngæi:	à processû alari ossis cuneiformis.
Faryngæus:	circumducitur gulæ.

Gargareon seu Uvula:

Pterystafilini interni:	à pteryægoide interno;	
externi:	externo:	

Pudendi:

Cremasteres:	ab osse pubis.
Erectores penis:	ab osse coxendicis.
Dilatatores uretræ:	à sfinctere ani.
Elevatores ani 1.mi & 2.di.	
Sfincter ani:	Circumducitur anô.
Sfincter vesicæ:	circà os vesicæ extenditur.
Diafragma:	à confiniô cartilaginis costarum. & vertebrarum toracis.

De sensibus externis: (*vid. D. Bonii P. P. œconomia corporis animalis.*)

- In genere, ubi sensionis.
  - Descriptio: est exploratio objecti.
  - Explicatio: ubi considerandum qvid intelligatur per:
    - 1. Objectum: qvod proponitur ad conversandum & usurpandum.
    - 2. Explorationem: qvæ est vel affectio Spiritûs à senso, vel effectio specici in spiritû.
  - Afficiunt ast sensa spiritum movendô & informandô.
  - Movent; tangendô mediante commensuratione inter id qvod tangit & tangitur; unde: *Voluptas*, *dolor*: & premendô.
  - Informant; reddendô sibi similem; qvatenùs afficiunt certo modo.
- In specie; ubi occurrit:
- *Tactio*: ubi ejus.
  - Definitio: *est sensio tangentis qvalitate suâ corpus nostrum afficientis; vel accedendô ad corpus; vel excedendo à corpore; vel se movendô intrà corpus.*
  - Explicatio qvalitatum tangentium, qvarum paria sunt octo:
    - 1. Raritas & densitas. 2. Subtilitas & hebetudo. 3. Levitas & asperitas.
    - 4. Levitas & gravitas. 5. Calor & frigus. 6. Fluiditas & firmitas.
    - 7. Humiditas & siccitas. 8. Mollities & durities.
- *Gustatio*: cujus
  - Descriptio: est sensio succi sapidi.
  - Explicatio vocabuli
    - Succi: est qvi consistit ex humido in rebus calore coctis.
    - Succi sapidi, qvi vocatur *Sal*; cujus sapor est *inchoativè à calore; perfectivè à figurâ particularũ ingerentium sese instrumento sapiendi. Hinc qvæq; res, qvæ assumi in corpus potest, prout commensurata est porulis organi, qvos subit, præ se fert saporem svav. aut insvavẽ.*
- *Odoratio*: cujus
  - Descriptio: est sensio effluvii odori.
  - Explicatio vocabuli
    - *Effluvii: qvod est halitus qs. sulfureus, tenuis, siccus & commensuratus structuræ organi ut ejus motum spiritus percipiant.*
    - *Odori*: est autem odor vel
      - Svavis, cujus corpuscula sunt levia, qvæ facilè inseruntur & amicabiliter se gerunt.
      - Insvavis, qvi violenter agit & exasperat, irrumpendô æqvò plur: & majorib° angulis.
- *Auditio*: cujus
  - Descriptio: est sensio aëris sonori.
  - Explicatio vocabuli
    - Sensio: qvæ fit dum aër in sfæras expansus auribus se insinuat.
    - Sonori, id est vibrati & figurati,
      - Vibrat aërem vis rerum (elastica) strepitum edentium.
      - Figurat certus rerum ictus.
- *Visio*: cujus
  - Descriptio: est sensio lucis tinctæ rerum vultibus.
  - Explicatio vocabuli
    - Vultus rerum, id est: Colorum
    - Tinctæ; *dùm lux qvaqvà versùm se diffundens insilit in omnes res & ex iis elicit species visibiles & secùm per aerem transvehit.*

MEMORIALE

AD PIOS PRUDENTES, VEROS ET FIDELES MEDICOS.

MEmini (Viri prudentes) me plures medicorum libros evolvisse: in qvibus, (qvod sæpè miratus sum) nullam summi rerum opificis mentionem inveni, multò minus auxilii divini invocationem anteqvàm ægrotis medicamenta exhiberent. Cum tamen certò certius sit medici pietatem veram interdùm plura præstare qvàm admirandam multorum scientiam. Propterea cum corporalis infirmitas nonnunqvam ex peccato proveniat; Medicorum officium erat, cùm ad infirmos vocarentur, ipsos antè omnia monere & inducere; ut animarum medicos adhibeant; ut postqvàm fuisset infirmô de spirituali salute provisum ad corporale medicinæ remedium salubriùs procederetur. Hanc viam laudabilem tres saltem (qvod sciam) præstantissimi medici ingressi, summâ cum laude artem suam exercuerunt. Arnoldum puto, Gordonium & Raymundum Lullium in arte operativâ. Hi sæpiùs ægrotos suos (visitandô eos) ad resipiscentiam hortabantur & implorato priùs divini numinis auxilio summam Dei benedictionem in medendô experti sunt. Raymundo seqvens formula precandi fuit familiaris, qvàm hùc ascribere placuit; & qvæ omnes veros Medicos sui officii admonere debet.

(Precatio Raymundi Lullii antè Medicinarum exhibitionem:)

DOmine JEsu Christe, qvi es omnium vera salus, Domine, Tu es, qvi omnia in bonitate & sapientia Tua valdè bona creasti, sine Te nihil scio boni in seculo. Qvare Domine J. C. majestatem Tuam suppliciter adoro, qvia scio & firmiter credo, nihil boni absqvè Tuâ bonitate, nihil magni absqve Tuâ magnitudine, neqvè durans absqvè Tuâ duratione, neqve potens sine Tuâ potestate, neqve sapiens sine Tuâ sapientiâ, neqve diligens sine Tuo amore; neqvè virtuosum sine Tua virtute, neqvè verum sine Tua veritate, neq; gloriosum sine Tuâ gloriâ, neqvè justum sine Tua justitiâ. Scio, qvod Tu hominem mirabiliter creasti, mirabiliùs reformasti; qvi medicinam veram ad reparandam sanitatem dedisti. Da benedictionem veræ medicinæ, ut omnes virtutes, qvas in principio posuisti, in ea ad finem perducantur: ut in corpore, qvod introierit, sanitatem mentis & corporis inducere mereatur; per Dn: Jesum Christum! Amen.

[Crescit agitata Pietas.]

(o)

J. N. R. J.

CAPUT I.

De communibus integumentis.

AD externa integumenta separanda diligentiâ opus est, ut omnia integra à cæteris libera appareant, ne cutis sit multâ pingvedine conspurcata, aut membrana carnosa pingvedine tecta, licet hoc in pingvibus evitari omninò non possit. Resupinatô itaqve cadavere (in tabula anatomica) duc lineam à mucronatâ cartilagine ad umbilicum usq; eoq; dimisso eam protrahe ad ossa pubis, hanc posteà ad angulos rectos secabis ex utrâq; parte è regione umbilici, ita ut non tangatur umbilicus; propè qvem has sectiones connectes per alias minores h.m. ⌘ Has sectiones adeò profundas facies, ut cutem solam seces, qvod ex colore facilè dignosces; alba enim est cutis & pingvedo flava aut subflava, posteà cutem separare incipies ab unô ex 4. angulis, qvod ut rectè assequaris, cautè incidendum erit, cultrôque potiùs uteris transverso, rectiùs enim nimis velocitèr secat & partem aut pingvedinis aut cutis ferè semper lædit, id præstabis duobus in locis, utpotè ab angulo dextro superiori & in sinistro inferiori ad spithamæ profunditatem, post-

eà pingvedinem cum subtracta membrana carnosa in iisdem locis separabis, ubi cavendum tamen ne subjecti musculi lacerentur; qvod levi negotio evitabis, postea in aliis duobus angulis omnia junctìm separabis à subjectis musculis, qvibus in locis separata erit membrana carnosa, hanc reperies sub pingvedine cuspide cultri, qvam inventam à superposita pingvedine liberabis; ubi tamen cavendum ne laceretur membrana; hæc enim facilè cuspide cultri læditur, ideoq; cuspis semper versùs pingvedinem dirigenda His paratis candelam accensam cuti submove, ut vesicula elevetur, qvæ detecta cuspideqve cultri à cute separata, cuticulam exhibebit.

Caput II.

De Musculis abdominis.

DEcem musculi sunt, ast summa est difficultas in iis separandis, undè diligentiâ est opus. Primò ulteriùs externa integumenta separanda sunt, ut in pectore appareat serratorum portio: in inferiori regione margo osium pubis & Ileum conspiciatur & lateraliter non procul à vertebris lumborum protrahenda. Qvibus separatis, primum par musculorum obliqvè descendentium separare incipies in pectore, ubi serrato annectitur per dentatas productiones, qvas ab invicem separabis patentibus separationis lineis, qvæ tres esse solent, aliqvando etiam qvatuor, qvinqve: qvo loci observabis illas etiam desinere in serratum, sed graciles tendines exporrigere in marginem inferiorem costarum. His productionibus sejunctis ad dorsum te convertes, ut principia omnium trium musculorum descen-

scendentium & transversorum illinc prodeuntium separes; qvod ut asseqvaris, opus est, ut latissimi finem hûc ostensum separes, ubi nulla difficultas. Hoc elevato, primum musculum descendentem separabis cavendo ne subjectum laceres; qvod evitabis, si ductum fibrarum observes. Hoc primo parumper liberato etiam ad secundum accedes ascendentem; cujus principium propè primum videbis ad rotundum accedens, in qvô elevando observabis membranosum principium tertii, qvod à processibus transversis vertebrarum provenit; secundo separato, ut priùs fecisti, ad tertium devenies, in qvo minor difficultas erit. His principiis liberatis ad primum iterùm te convertes, in qvo nil erit ardui usqve ad rectos, sed cum ejus tendinem à subjecto secundi suprà rectos discurrentis dividere aggredieris, difficillimum invenies opus & ferè imposibile, si ad lineam usqvè albam id facere tentes, qvare postqvam ipsum separaveris, ad latitudinem pollicis: satiùs erit inferiorem ascendentis secare, eumqve cum superiore ascendenti simul junctos, à supposito musculo recto dividere, qvod facilè succedet, ubi musculi recti carnosa observatur substantia; secùs autem in inscriptionibus ejusdem reperies, qvoniam tenacissimè tendines adhærent. Superiorum musculorum tendines igitur etiam suprà & infrà inscriptiones dictas, patienter divides, ita ut tenuissima eorum insertio remaneat, cum digitationibus illis, qvam posteà levi negotio integrè secabis. Observabis demùm dùm ad lineam albam usqvè deducere descendentem musculum tentabis, processus (in infima parte abdominis) peritonæi ad testes, qvos utroqve in

latere integros servare oportet. His peractis ad secundum te convertes, in qvo separando, ubi carnosus est, nulla difficultas erit; sed cum incipiet in tendinem ostendi, non levis erit labor, & propterea non præsumes ipsum producere ad lineam albam usq́, sed postqvàm aliqvam portionem tendinis separaveris, illum dimittes, deindè portionem sui tendinis, qvam suprà rectum reliqvisti, versùs ipsum separabis, ita ut remaneat suo principio appensa & ipsum rectum ex totô detectum. Rectum posteà peritonæo separabis, idqve digitis potiùs qvàm cultro, sed sub sterno, sub qvo ascendit, major erit labor. Uncô igitur sternum, vel potiùs cartilagines sterni ad inferiores costas deductas elevabis, ut totum transversum videas musculum, ac à diafragmate & peritonæo sine dilaceratione separare valeas. Cautè hîc incedendum erit versùs superiora, qvoniam musculi subtilescunt, & facilè franguntur. His pariter sic præparatis ad rectos devenies, in qvibus nulla alia difficultas nisi propè mucronatam cartilaginem, qvoniam illi assumunt venam & arteriam à mammariis internis, qvæ vasa servanda sunt diligenter, id etiam faciendum in parte inferiore; sed hæc magis conspicua sunt. In his musculis separandis observa digitationes illas, seu inscriptiones non esse in partem ipsorum infernam, sed in superiore, ubi scilicet tendines musculorum obliqvè descendentium & ascendentium ipsos tegunt. In his posteà perqvires anastomosin venarum superiorum & inferiorum, qvam aliqvando facilè, aliqvando difficili negotio reperies, qvandoqve etiam non reperies (ob summam tenuitatem.) Tandèm propè ossa pubis, in fine rectorum aliqvando

qvando videbis qvintum par musculorum, (qvod pyramidale dicitur,) aliqvando unum tantum musculum reperies, & aliqvando planè nullum, in qvo casu observabis rectos latiores esse propè ipsa ossa. Hoc qvintum par à lateribus & ab invicem separabis, ita ut appensum remaneat lineæ albæ in superiore parte, & in inferiore ossibus pubis.

CAPUT III.

De ventriculo, intestinis, omentô, mesenterio, liene, pancreate.

DIfficilis præparatio propter extractiones. Undè talis ordo servandus: dissectô peritonæô in qvatuor partes, (ut superiùs de externis integumentis factum est;) venam umbilicalem à peritonæô separabis usqvè ad hepar. Dein omentum ab intestinô colô detrahes, ubi observa cavitatem, qvam ipsum omentum producit, dùm adhæret intestino colo, fundo vertriculi, lieni, pancreati. Posteà intestinum rectum à suô ligamentô separabis inferiùs qvantùm poteris, idqve duplici ligamento ligabis & inter utramqve secabis ejusqve præparationem versùs superiora perseqveris. Observa intestinum colon in fine anteqvàm rectum evadat, flexum facere ad superiora; qvô aliqvandò ad lienem, (aut saltèm renem sinistrum pervenit,) aliqvandò non. Hoc separabis igitur versùs superiora à rene sinistrô, à liene, à fundô ventriculi, ab hepate, à rene dextrô usqve ados ileon dextrum, ubi desinit. Tunc tenuia intestina separabis à mesenteriô, usqve dùm videris pancreas adnexum, ubi factâ duplici ligaturâ, (ut inferiùs fecisti,) sectionem facies ut suprà, & intestina extrahes; qvæ postqvàm fuerint repurgata ab excremen-

tis, extendes ſuprà tabulam ordine conſvetô, ſed priùs particulam ipſorum ſecabis, in qvâ tunicas monſtrabis (facta ſeparatione externa tantùm) qvoniam alia ex ſe manifeſta ſunt. Per longitudinem poſteà finem ilei & principium coli ligabis, qvod per longitudinem ſecabis verſùs cœcum, ut oſtendere poſſis valvulam ibi regreſſum á craſſis in tenuia prohibentem. Tandem ipſa inteſtina in flabis & extremitatibus vinctis relinqves: (*vid: Illuſtriſſimi D. Wedelii C. P. C. Decad: 8. Exercitatio 7. De Valvulis conniventibus:*) *Viſuntur non ſolùm in cadaveribus qvibusvis (circuli ſcilicet) qvamvis non rarò neglecti, verùm maximè, ſi inteſtina elutriata & inflata exſiccentur, qvalia à nobis demonſtrari poſſunt ad oculum, qvaſi infibulati ſeorsìm reliqvo contextui, ut ſenſibus ſint diſtincti.* Poſteà oportet meſenterium ſeparare, ſed priùs partem illam, qvæ colon alligabat in parte ſiniſtra. Et rectum opus eſt ſeparare, qvod incipies, ubi rectum ſecaſti, qvô locô obſervabis, ut venam ad rectum protenſam per ipſam partem ſerves, & cum ad ſuperiora pervenies, ubi os ſacrum deſinit, lateraliter obſerva: ne aut vaſa ſpermatica aut uretrem lædas, qvod in non valdè obeſô corpore facilè evitabis. His obſervatis, ad ſuperiora progredieris. Sed cum ad vertebras lumbares devenies, obſerva: arteriam meſentericam inferiorem ad hanc partem protenſam, qvam à trunco ſeparabis & ſic exſcindes cautè. Poſteà ſuperius ſeu dextrum orificium ventriculi inveſtigabis, & diligenter digitis à diafragmate ſeparabis, altiusqve qvam fieri poterit, ligabis & ſecabis. Poſtea lienem à diafragmate ſeparabis & à rene, ubi cautè incedes attentèque obſervabis, ne renem ſuccenturiatum

riatum ſimul abſtrahas; pariter obſerva principium vaſorum ſpermaticorum ſub emulgentibus ex utrâqve parte, deindè radicem meſenterii ſeparabis: ubi duæ occurrent inſignes arteriæ, qvarum ſuperior Cœliaca, inferior Meſenterica ſuperior dicitur has à trunco ſeparabis. Indè hepar à diafragmate ſejunges cui adhæret per ligamentum latum ipſius & ſæpè per multa filamenta præ digitis franges. Poſteà venam cavam ſecabis ſuprà hepar, propè diafragma & ſub ipſo, ubi obſervabis: ne venam ad renem ſuccenturiatum dextrum deductam lædas, altam enim habet originem. Tum adhibita diligentia truncum ſecabis ſtatìm ſub ipſô hepate, & ſic omnia junctìm extrahes, qvæ à ſangvine repurgabis ac ſuprà tabulam eo ordine qvo in corpore exiſtunt, oſtendes, & ſi qvid erit in ventriculo, illud extrahes & circà ſuperius orificium ejus nervos perqvires, qvos facilè invenies, ſi altam feceris ſectionem. His inventis, duobus filis ligabis, eorum divaricationes circà ventriculum diligenter ſeparabis; ubi obſervabis ramum inſignem ad hepar tendere, qvem diligenter ſervabis. Poſteà venas & arterias ad ipſum ventriculum tendentes inveſtigabis, & primò à ſiniſtris à liene aut à ramis ad ipſum tendentibus tres aut qvatuor invenies facilè, ſi membranam, qvæ à ventriculo ad lienem exporrigitur, diligenter ſeparabis, ſtatìm vaſa videbis, qvæ tùm verſùs ventriculum, tùm eorum originem ſeparabis. Horum vaſorum primum, (ſcilicet qvod magis proximum eſt orificio ventriculi ſuperiori,) vas breve dicitur, cætera gaſtrica minora. Verſùs fundum videbis ventriculi venam & arteriam, has ambas diligenter ſeparabis, & vide-

videbis, ostendi ferè semper versùs partem dextram ventriculi & jungi gastro epiploicis dextris. Hìc, si diligentia uteris, nullum erit negotium. Posteà à dextris principium venæ & arteriæ gastro epiploicæ dextræ reperies, observabisqve hanc à ramo iliaco; illam à mesenterio ortum habere, in qvibus pariter levis erit difficultas. Indè ad ventriculi superiora te convertes, ut gastricas dextras & sinistras invenias. Nec circà has multa erit difficultas, qvoniam si circumfusas membranas separes, vasa apparebunt, eorumqve trunco invento, versùs originem progredieris, videbisq; venam oriri à ramo splenico (aut propè ipsius exortum) arteriam vero à ramo cœliaco. In separatione horum vasorum per superiorem partem ventricnli disseminatorum, diligenter incedes, ne nervos hùc tendentes seces. Sic progredere versùs orificium inferius, ubi gastricas reperire opus erit: nec de arteria erit difficultas maxima, sed sæpè erit de vena, ut eam nullo modo reperire possis, sed loco ipsius videbis sinistram ad pylorum usq; extensam ac pyloricæ annexam. Qvandoq; etiam ipsam absq; multo labore invenies, qvin minorem habebis, si è trunco venæ portæ incipies inqvirere; (cautè tamen erit incedendum ob multa circà hepar observanda.) His sic peractis tunicas in ventriculo separabis facta sectione angulari hoc modo Λ Ubi tunicam separabis ab angulo versùs inferiora. Posteà separatione primæ tunicæ, sectionem facies, qvæ ad cavitatem usq; perveniat, ut mediam & intimam tunicam ostendere possis. Tandèm duplicaturam omenti patefacies, immissa charta intrà ipsam.

CAP.

CAPUT IV.

De epate, liene, pancreate, mesenterio & vesicâ felleâ.

PRimò ventriculum & omentum ex toto separabis & abjicies. Posteà pancreas à subjectis vasis circumfusisqve membranis liberabis; ubi observes venulas & arterias ad illud porrectas, appensum intestinô duodenô relinqves, qvoniam in ablatione ventriculi opus est, ut portionem illam intestini, qvam ipsi appensam reliqvisti, in ablatione intestinorum à pyloro infrà hîc relinqvas. Pancreate separato venam & arteriam ad lienem tendentem purgabis, sed propè arterias investigabis nervulos ad lienem disseminatos, qvos exiles observabis, inventosqꝫ ligabis filo. Vasa hæc omnia (præcipuè lieni proxima) diligenter purgabis; deindè nervum (qvem ad jecur tendentem superiùs servasti) separabis usqꝫ ad illud, ad qvod etiam alterum invenies tendentem propè venæ portæ truncum; hunc reperies in detectione trunci ipsius, qvod affatìm efficere poteris. Sed cum devenies ad mesenterium, observabis arteriam mesentericam superiorem, cujus truncum filô ligabis. Postea ejus ramificationem (& pariter venæ) per mesenterium detegas; ubi observabis multas glandulas, qvarum aliqvas servabis, ut ipsas ostendere possis. Servabis propterea aliqvam portionem membranæ superioris & inferioris ipsius mesenterii. In detectione venæ mesentericæ (aut splenicæ) invenies ortum hæmorrhoidalis, qvam servabis & separabis usq; ad extremitatem, abjiciendo portionem illam, qvæ

versus renem sinistrum disseminatur ad intestinum Colon, simul cum ligamento relinqvendo portiuncula, ubi rectum continebatur. Postea ductum cholidochum purgabis cùm ad vesicam felleam, tùm ad hepar. Ast observandum, propè ipsam arteriam à cœliaco ramo ad hepar distributam, qvam diligenter separabis: sed cum propè vesicam felleam id facies, observabis ramulum satis conspicuum ad ipsam protendi, propè qvem observo etiam nervulum exilem huc protensum. Venas cysticas aliqvando reperies, sed rarò; qvas si inveneris, separare poteris ad truncum usqve, arteriam autem videbis statim in duos ramos propagari ad utrumq; latus ipsius exporrectos. Observa præterea alteram arteriam ad hepar tendentem à ramo cœliaco, & aliqvandò á mesenterico, qvam pariter purgabis. In purgatione venæ portæ observa propè truncum multa filamenta, seu multos ductus, aliqvandò manifestissimè apertos, intra qvos & stylum immittere poteris, tùm præterea nervulum á plexu sexti paris donatum. His sic peractis cautè secabis secundùm longitudinem pancreas eâ parte, qvâ vasa respiciebat ipsisqve adhærebat, usq; dùm ductum ipsius detegas, qvo detecto, faciliter totam longitudinem ipsius pancreatis reperies; cautè tamen progredere, ubi intestino adhæret, ut insertionem in ipsum invenias. Observa, ne ductum cholidochum seces, qvoniam ductus pancreatis ferè semper in idem foramen cholidochi sese aperit intra intestinum; qvod ut clarè ostendere possis, intestinum secabis secundùm longitudinem. Tandèm membranas lienis, hepatis, tandemq; vesicæ felleæ se-

pa-

parabis, eô modo, qvo de ventriculo dictum est. Poteris etiam detegere aliqvas ramificationes venæ cavæ per superiorem partem hepatis, item portæ per inferiorem, præcipuè duos amplos ramos priores & insertionem umbilicalis.

CAPUT V.

De renibus, ureteribus, vesica; Vasis spermaticis, testibus, pene & reliqvis.

HÆc omnia priùs è corpore educenda sunt simùl juncta, & postea supra tabulam expurganda; qvare priùs vasa spermatica elevanda sunt à partibus inferioribus, seu ubi ex abdomine exeunt versùs superiora progrediendo ad ortum usq; suum; observa in parte inferiore vasa deferentia, ne ipsa seces, qvoniam cum alba sint, facilè secari possint cum membranis. Cùm id utrinq; feceris, ureteres liberabis à vesicâ ad renes; postea renes ipsos elevabis ex utrâq; parte. Observa renes succenturiatos, & cùm ad arteriæ truncum devenies, ipsum secabis, ubi intra productiones diafragmatis descendit; postea utrumq; truncum venæ & arteriæ versùs inferiora separabis. Postqvam autem reperies divisionem rami iliaci in internum & externum, (scilicet in cruralem & hypogastricum,) ibi secabis, ita ut divisionem hanc habeas; postea seorsìm divides per medium & utrumq; testem cum suis involucris versùs superiora separabis, observabisqve, ubi ex abdomine exeunt vasa spermatica propè os ileon, (carnosum corpusculum, qvod musculum facit cremasterem,)

hoc diligenter ſimùl elevabis. Poſtea vaſa deferentia ſeparabis verſùs veſicam & cum propè ipſam illa deduxeris, tunc ab oſſibus pubis veſicam (à ſacco inteſtini recti portionem, qvam reliqviſti) ſeparabis, qvod digitis, & ferè ſine ope cultri præſtare poteris. Poſtea diductis cruribus penem ab osſibus pubis ſeparabis; ad cujus latera videbis venas, arterias & nervos per ſuperiorem partem ipſius tendentes, qvas ſecabis; aſt obſervabis muſculos erectores, qvos propè oſſa diligenter ſeparabis ſecundùm totam longitudinem ipſorum; ſimul elevabis inteſtinum rectum, ſecandò circa ipſum ad latitudinem duorum digitorum; cavendô, ne qvid laceres, id autem præſtabis & exteriùs & interiùs (id eſt in cavitate oſſium) donec ex toto liberaveris, & ſic omnia ſimul extrahes, & ſupra tabulam extendes eo modo, qvo in corpore diſpoſita ſunt. Poſtea inteſtinum rectum ſeparare poteris, in qvo nulla alia erit difficultas, niſi in parte extrema, ubi muſculi ſunt. Circa qvam obſervabis, ut ipſi ſuos elevatores; peni verò erectores & dilatatores uretræ relinqvas, in cæteris nullum periculum. Hoc inteſtino ſeparato ad ſuperiora te convertes, & primò adipoſam membranam à renibus ſeparabis, aut ſi placuerit, in vivo latere ſuis vaſis juncta relinqves; videbis enim ab emulgentibus hûc porrigi venas & arterias. Obſerva præterea in parte ſuperiori & inferiori renum, ne ſimul auferas renes ſuccenturiatos, obſervandô, ut ſua vaſa relinqvas. Venas clarè videbis à dextris, à trunco venæ cavæ, à ſiniſtris (ab emulgente.) Arterias autem aliqvandò à trunco, aliqvandò ab emulgentibus reperies, qvos etiam adeò

ſub-

ſubtiles multotiès reperies, ut vix ſervari poſſint. His ſeparatis vaſa emulgentia & truncos usq; ad diviſiones diſſectos purgabis. Obſervabis propè arterias emulgentes nervos ad renes diſtributos, & principia vaſorum ſpermaticorum. Poſtremò principium ureterum propè renes, à circumfuſa pingvedine liberabis, ipſosq; ureteres ad eorum inſertionem usq; liberabis; ſed cum propè veſicam deveneris, obſervabis vaſa deferentia, qvæ propè ipſos ureteres tranſeunt. Poſtea veſicam repurgabis, relinqvendo illi annexam portionem aliqvam membranæ externæ in parte ſuperiori & inferiori. Propè collum veſicæ diligenter obſerva capſulas & veſiculas ſeminales, tùm glandulas, qvas proſtatas (actaoides) vocant; qvæ omnia à circumfuſis membranis diligenter purgabis, & tandem muſculos erectores penis ſéparabis parumper & ad invicem dilatatores uretræ & ſic omnia præparata habebis pro demonſtratione renum, ureterum & veſicæ. (*Seqvitur præparatio teſtium & penis*:) Primò diligenter excoriabis, relicta ſolùm aliqva parte cutis in extremitate ipſius, ut præputium oſtendas. Deindè vaſa ipſum excurrentia inveſtigabis, eaq; in parte ſuperiori, & erunt venæ duæ, totidemqve arteriæ & pariter nervi, qvæ omnia ſeparabis usqve ad aliqvot divaricationes. Poſtea uretram nonnihil ſeparabis à lateribus, ita ut diviſa à ſpongioſis corporibus videri poſſit, & tandem corpora ipſa ſpongioſa ſecundùm longitudinem ſecabis diligenter, donec arteriam per ipſa excurrentem videas, qvæ ſanè obſervabilis eſt. Ad teſtes poſteà te convertes; circà qvos primò externa integumenta ſeparabis, in qvibus rarò pingvedinem

invenies; à cute separabis membranam carnosam, qvæ hîc dartos dicitur. Posteà ubi vasa è corpore egrediebantur observabis expansionem musculosam, qvæ musculum cremasterem constituit, hunc separabis à contentis vasis diligenter & descendendo versùs testes, videbis ipsam desinere in membranam vaginalem dictam, qvæ testes involvit, eamq; simul separabis, & si diligenter id feceris, alteram subjectam tenuiorem supra testes relinqves, (qvam nerveam vocant.) & posteà separabis. Circa ipsos testes observabis vasa variciformia dicta, qvæ principium deferentium præbent. Hæc à circumfusis membranulis separabis, & etiam aliqvantisper ab ipsis testibus, ut videri possint. Epidydimides ipsos in medio ipsorum à testibus parumper separabis, & tandem tunicam albugineam dictam hâc formâ elevabis parumper: Λ

Hîc adducendum esset aliqvid circa separationem vasorum spermaticorum seu præparantium, & præcipuè pyramidalium, sed cum hoc describi non possit, dimittendum censeo. Si tamen placuerit, poteris ipsa ab invicem separare, qvo usqve possibile erit; in qvâ separatione observabis miscelam horum vasorum adeò strictam, ut oculis defatigatis illas dimittas.

CAPUT VI.

De partibus generationi inservientibus in fæminâ.

CIrca renes succenturiatos truncum venæ cavæ & arteriæ magnæ, nec non principium vasorum spermaticorum, ureterumq; progressum nulla est differentia ab

ab iis, qvæ in viro dicta sunt. His itaqve ut suprà separatis, ad inferiora descendes, ubi primò observabis ligamenta rotunda dicta; qvæ ab utero ad ossa pubis exporriguntur. Hæc statim separabis versùs uterum, sed observes ut longiora, qvàm fieri poterit, seces; id est propè ossa, ubi in membranam explanantur. Postea crura diduces & pudendum muliebre separabis, ut in pene fecisti. Ast observa loco musculorum penem erigentium duos pusillos musculos seu duo pusilla corpora teretia carnosa, qvæ clitoridis crura sunt; hæc eodem modo & ab eôdem locô (ubi penis erectores separati fuerunt) educenda sunt, differunt enim solùùm magnitudine. Deindè vesicam (ab ossibus pubis) uterum & intestinum rectum junctim separabis in partibus internis propè ossa (ut in viro fecisti.) Ast si vasa hypogastrica servare velles, opus erit in sectione truncorum descendentium venæ cavæ scilicet & arteriæ magnæ, ut iliacum ramum internum utrumqve serves, (cum oriantur ab his.) In reliqvis eadem præparabis ac in virô; hæc cum ê corpore eduxeris, lavabis parùm & post suprà tabulam ostendes. Renes succenturiatos, truncos venæ cavæ & arteriæ aörtæ, ureteres, vesicam, principia vasorum spermaticorum, eô modô qvo in viro separasti, hic etiam perficies. Intestinum rectum pari ratione segregabis, qvod minori labore facies, cum præter suos musculos nil aliud observandum sit. Ad testes posteà te convertes; circà qvos totam expansionem membranosam circà ipsos exporrectam separabis, relicta tamen ea, qvæ inter ipsos & tubos existit; qvæ ligamentum latum unius cujusqve lateris constituit. Hîc

(si

(si placuerit) minori cum difficultate anastomosin venæ & arteriæ spermaticæ investigabis. In qvibus observabis venas & arterias ad uterum in parte superiori disseminatas conjungi cum inferioribus ab hypogastricis. (& præpuè arteriâ:) De venis & arteriis ab hypogastricis hùc diffusis separandis vix habeo qvid dicam, cum hæc cultrum diligentem reqvirant ob incredibilem eorum divaricationem, ideò tuam experieris diligentiam. (Uteri vaginam purgabis & posteà ad clitoridem devenies.) Hunc observabis in parte superiori sub cute; circa qvem nullam habebis difficultatem, si ea qvæ in extractione dicta fuerunt diligenter observaveris. (Inventis enim cruribus facilè qvoqve ipse reperitur.) Hunc separabis, ut commodè videri possit, qvem aliqvandò observabilem, aliqvandò exiguæ molis reperies. Tandèm si qvid erit circà labia superfluum id abscindes & præcipuè pingvedinem, qvæ ipsis substrata esse solet. Ligamenta rotunda nisi jam ad uterum deduxeris, usqve deduces; ac ultimô locô tunicam uteri (more solito) separabis.

Caput VII.

De fœtu humano.

Fœtum ostensurus vel cum secundinis vel sine iis; primò vel fractæ erunt vel non. Si fractæ, nil aliud circà ipsas agendum est, nisi ut duplicitatem earum ostendas, qvarum interna subtilior, externa densior erit. Si integræ sunt, illas in parte anteriori secabis & placentæ relinqves; deindè vasa umbilicalia propè ipsam placentam ab invicem parùm separabis, extracto

tracto priùs velamento aut involucro, intrà qvod continebantur. Hæc parùm per placentam separare poteris, ut eorum divaricatio appareat; posteà ad fœtum te convertes, qvi si his carebit, laboris occasionem adimet. Circà fœtum posteà oportet priùs sectionem facere ab umbilicô ad lumbos utrinq; usqve in cavitatem abdominis, ut arterias umbilicales, urachum & venam umbilicalem videas. Qvibus omnibus servatis, omnia integumenta & musculos simùl secabis à mucronata cartilagine ad ossa pubis, relictoqve umbilico, hæc omnia deduces, ut viscera conspici possint. Dein arterias umbilicales ab invicem & ab uracho separabis, easqve deduces usqve ad insertionem suam in hypogastricis, qvod brevi negotio facies, (id etiam præstabis de venâ ad hepar usq;.) Posteà intestina crassa à lateribus separabis, ut renes succenturiati & renes ipsi videri possint; circà qvos observanda observabis. Posteà diafragma secabis propè costarum cartilagines, ut pulmones & cor extrahere possis; qvod præstabis elevandô sternum uncô & dissecto pericardio propè diafragma: deindè apprehendes aut unco, aut indice, aut medio digito manus sinistræ pulmones & cor, omniaq; versùs inferiora trahes. Deindè cultro secabis vasa propè jugulum altiùs qvantùm fieri poterit, ut Thymi corpus habeas; arteriam pariter, venam cavam, & œsofagum propè diafragma secabis, & posteà cor & pulmones extrahes. Circà qvæ primò extrahendum est corpus Thymium; qvod in vasorum divaricationibus in superiori parte observabis: (ast hoc nullius erit momenti.) Post observabis arteriæ magnæ truncum, ubi flectitur ver-

sùs inferiora, qvoniam ab ipso in venam arteriosam videbis exporrigi tubulum brevem qvidem, sed conspicuum, qvem diligenter observabis, separabis, servabis; est enim anastomosis per canaliculum dicta inter aörtam & venam arteriosam. Gulæ portionem in parte posteriori & arteriæ magnæ superfluitatem demes, reliqviasq; pericardii diligenter exstirpabis, ut vasa clarè conspiciantur, & tandèm venæ cavæ truncum secabis secundùm longitudinem, qvo diducto à sinistris videbis anastomosin inter venam cavam & arteriam venosam per foramen ovale. Si fœtus in lucem editus non fuerit; poteris observare curiosè substantiam pulmonum. *Pulmones fundum statìm petunt (suffocato fœtu in utero) ratio manifesta: qvoniam in utero nulla fit respiratio & per consequens nulla rarefactio aëris in bronchiis pulmonum, & contrà: in fœtu vivo (post inspirationem & exspirationem aëris) extincto, supernatant pulmones in aqvâ. (Hoc esto rationale experimentum: fœtus in utero suffocati vel post nativitatem extincti.)*

CAPUT VIII.

De Partibus continentibus in thorace:

A Partibus continentibus sunt segreganda externa integumenta; ast tamen hic separanda non sunt, ut in abdomine, qvia iterum demonstranda non veniunt, itaq; junctìm ea divides, hocq; præstabis facta sectione in mediô pectoris (secundùm longitudinem ejus.) Deindè suprà claviculas transversè usq; ad processum spinatum scapulæ; hanc sectionem iterùmq; protrahes secundùm longitudinem brachii usq; ad medium ipsius. Tunc posteà

posteà omnia integumenta separabis, ita ut superiùs claviculas detegas, à lateribus verò totum musculum serratum majorem, & brachium in parte internâ, usq; qvo sectionem fecisti, ita liberum habeas. His peractis, ad musculos devenies; & primò in pectoris regione superiore duos amplissimos musculos totum pectus ferè tegentes (& ideò pectorales dictos) levi negotio (circumcircà) separabis, ubi cavendum: ne secum serratos minores subjectos eleves! prætereà ne deltoidem laceres; qvando continua eorum corpora videntur, ea tamen distingves beneficio venæ cefalicæ, qvæ inter utrumqve excurrit, hos deduces usqvè ad suam insertionem in brachio. Posteà duos subjectos minores serratos seu superiores separabis, in qvibus nulla erit difficultas; hos deduces ad insertionem usq; suam in scapulæ processum ancyroidem. Posteà serratos majores separabis ut ipsos aliqvo modo ostendere possis; qvoniam insertionem demonstrare non poteris, cùm in scapulæ basin ferantur. Qvibus peractis ad subclavios ascendes; hos observabis sub claviculis latentes, itaqve expediet claviculas elevare, cautè tamen, ne ipsas lædas, evitabis, si propè ipsum os separationem facies; musculos post circumcirca separabis, relictis ipsis appensis costis & in superioribus claviculis; his omnibus separatis ad intercostales devenies, qvorum aliqvos separabis, idq; circà externos tantùm præstabis. Hos à margine inferiori costæ superioris in marginem superiorem costæ inferioris deduces, ast difficultas erit, né lacerentur subjecti, (id est interni,) qvod evitabis, si cuspidè cultri primò facies levem sectionem secundùm longitudinem

costæ,ubi adhæret musculus; deindè ipsum externum incipies elevare, ubi cessat, qvod fieri animadvertes, ubi costæ, cartilaginibus sterni annectuntur observando fibrarum ductum, qvoniam decussatim incedunt, sed si aliqvam portionem rectè separabis, totum postea sine labore separare poteris. Qvibus omnibus musculis separatis, sternum elevabis, secando cartilagines, ubi costis junguntur; post in parte inferiori & internam separabis ab ipso diafragma, (idq; diligenter) Mediastinum pariter à sternô sejungas, idq; propè ipsum os, ut integrum relinqvas. Sterno ablatô ad diafragma devenies, cujus nervos videbis à superioribus partibus ad ipsum ferri. Hos videbis descendere suprà pericardium, & qvidem in latere sinistrô magis conspicuum, in dextrô paulò depressiorem observabis, hoc secabis superiùs & deduces ad diafragma usq;. Dein ipsum circumcirca à costis & lumbis separabis, sed cum ad vertebras devenies, observabis ipsum extendi in duo corpora carnosa rotunda versùs inferiora & tandèm in tendines crassos, qvos diligenter separabis; ultimo loco ipsam à pericardio separabis, (ubi diligentiâ opus erit & patientiâ) ob arctam inter se connexionem. Hôc separatô pleuram propè vertebras secundùm longitudinem secabis levitèr, & digitis à subjectis costis separabis, ut ipsam ostendere valeas. Postremò diafragma ostendes suprà tabulam, & in ipso venas proprias separabis, qvas duas invenies, à trunco scilicet venæ cavæ, dum ipsum perforat duos videbis, & à mediastinis, cum nervis totidem arterias invenies in medio ipsius, ubi trunco descendenti descensum præbet. Tandèm membranas pro-

proprias ſuperiùs & inferiùs (more ſolito) ſeparabis, hôc uno tantùm obſarvato, ut ſupra tabulam ponas inferiorem ejus partem, ut qvæ pectus reſpicit, in conſpectu reſtet, idqve ob nervos ad ipſam delatos; Ultimo loco mediaſtinum, id eſt membranas illas, qvas ſub ſterno ſeparaſti, ab invicem non nihil ſeparabis, ut duplicatura conſpiciatur.

CAPUT IX.

De Corde & pulmonibus.

VAſa ommia in confinio toracis & colli ſecanda; deindè junctim propè vertebras lumborum omnia ſeparanda & extrahenda, qvæ poſtqvàm extraxeris ſuprà tabulam expones (parùm abluta) poſt in parte poſteriore portionem gulæ videbis, qvam ſeparabis. Obſervabis poſtea in parte ſuperiori propè aſperam arteriam duos truncos nervorum, qvi à ſexto pari hùc propagantur, hos diligenter ſeparabis verſùs pulmones, (attentè obſervandô eorum divaricationes ſeu ramificationes.) Nam ex his unum obſervabis ad baſin cordis ferri, qvam facilius invenies, ſi intrà arteriæ magnæ truncum ex corde exeuntem & venam arterioſam perqvires, & poſteà aſcendendo ad ortum ſuum deduces. Alteram deindè & etiam duas invenies aliqvandò ad pericardium in parte ſuperiori; nam in inferiori (ſi diligenter te geſſeris) videbis à frenicis hûc propagari aliqvos ramulos. Poſtèa circumfuſas membranas & minutas glandulas circà aſperæ arteriæ divaricationem & truncum auferes, & ſuperfluam longitudinem arteriæ aortæ & venæ cavæ aſcendentis truncabis. Indè vaſa ad

pulmones tendentia á circumfuso pericardiô liberabis, ut ea ostendere valeas, qvæ filo ligabis utrinq; Tandèm membranam pulmonum (more solito) separabis, & cordis; (si placuerit) elevato ex unâ parte pericardio, potes etiam vasa cor irrigantia, venam scilicet & arteriam aliqvantùm separare.

CAPUT X.

De musculis laryngis.

NE musculorum multitudo confundat, ordo hîc servandus est. Primò lineam duces à mento ad collum eo usq; profundè, ut possis cætera vasa subjecta membranæ carnosæ secare, qvia præparata cutis, qvæ collum cum sternô conjunctum occupat ungvibus elevatis, & simul cum subjecta membrana carnosa (qvam cum cute elevabis) secetur. Hæc itaqve conjuncta simùl præparabis tàmdiù, donec marginem mandibulæ detegas, & versùs posteriora processum mastoideum, deindè musculum mastoideum separabis à suo principio, qvod à sterno habet versùs suam insertionem in processum scilicet mastoideum. In hoc musculo præparando observabis subjectum musculum coracoideum, qvi transversè sub ipso progreditur, idq; circà medium ipsius; hunc itaq; mastoideum separabis usq; ad processum antè dictum. Mox ad paria musculorum á sterno orta te convertes; qvorum primum à sterno erit, & rectà versùs superiora progredietur, desinitq; in dictum os hyoides. In hoc pari separando cavendum, ne subjectum simùl elevetur, qvod fiet levi negotio; illo separato hoc secundum separabis eodem ordine, in qvo nulla difficultas, ab eodem enim principio exortum pari

passu

passu progredietur, ab eoq; tantùm differt in insertione, qvoniam in cartilagine tyroide terminat. His separatis, à lateribus musculos coracoides dictos separabis: hos à principio suo, qvod ab angulo superiori scapulæ trahit primò separabis, & sic versùs superiora seqveris, donèc ad os hyoides devenias, in qvod desinunt. Postea glandulas, qvas propè processum mastoidem, & sub mandibulas videbis, extrahes, pariter venas singulares & arterias carotides, qvas à lateribus rectè ascendentes inqvires, ubi nullum erit negotium. Hic tibi tantùm observandum erit secundum nervorum par, qvod ad lingvam fertur, in qvô separando observabis unum & aliqvando duos ramulos ferri ad musculos cartilaginum thyroidis & arytæroidis, ex qvô patebit non tantùm à recurrentibus nervos recipere, ut opinatus est Galenus. His ablatis coracoides musculus ad digastricos deveniet; hos videbis à mento carnoso principio oriri, deindè tendinosos fieri, & versùs posteriora progredi, iterumqvè carnosos factos in mastoidem processum inseri. Hos itaqve à suô principio separabis, ubi cautè cultrô uteris, ne subjectos musculos seces. Deindè versùs posteriora progrediens circà partem tendinosam observabis non rarò ipsum perforare musculum teretem, qvem stylocerato hyoidem vocant; qvod si fiet, oportebit illum circumcirca parùm separare, deindè fissuram per qvam tendo transit, parùm dilatare, ut carnosum corpus sui musculi per ipsam transducere possis, & tandèm ipsum ad processum jam dictum mastoideum perducere, qvod si non adesset, ut sæpè fit, minori negotio tuum opus perficies. Deindè ad latera superiora te con-

convertes,ubi non procul à prædicto processu mastoide versùs anteriora, & interim digitis explorabis processum styloidem vocatum; à qvo tres musculos oriri videbis in utroq; latere, horum primus præ ceteris & longior & patentior, & ab ipso processu exortus versùs anteriora progreditur,& in os hyoides infigitur; qvare separato principio cave, ne subjectos duos lædas, ad os ipsum usq; deduces alterum,qvi medius est, ab eodem principio natus, in lingvam protenditur, & styloglossus dicitur. Hunc eodem ordine separabis à principio scilicet ad insertionem usqve; idem erit de tertio, qvi in pharyngem implantatur,in qvibus musculis separandis nollem te curiosum in sectione esse, parùm enim interest, eos exactè separare in cadavere cum dubio aliqvando aliud lædendi, cùm id fieri possit tutiùs, postqvam omnia extracta erunt ab ipso. His musculis separatis, in parte superiori propè mandibulam nervum conspicies, qvi à superioribus ortus & propè os mandibulæ descendens, in lingvam implantatur; hunc versùs suum principium separabis, & lingvæ insertum relinqves,est enim propago qvarti paris ad lingvam destinata. Posteà ad mentum te convertes, à qvô tria paria musculorum oriri conspicies; horum primum ceteris evidentiùs & latiùs ossi hyoidi assignatur, qvod ab ipso mento separabis, in qvô nulla alia difficultas, nisi qvod simùl facili negotio auferri qvoqve posset secundum par, qvod tamen si fieret, nullius momenti esset error; id autem cognosces ex fibrarum progressu, nam fibræ primi paris obliqvè non nihil incedunt, istius verò rectè in os ipsum, cui etiam destinatum est; qvod si

factum

factum fuerit, ab ipso primo hoc secundum separabis, qvod si autem non à mento id facies, ubi non est difficultas. Posteà tertium par liberabis â mento ipso sine ullâ hæsitatione. His omnibus peractis à parte inferiori versùs sternum, asperam arteriam & œsofagum cum omnibus suis musculis à vertebris liberabis versùs superiora ascendendo, donec ad caput ipsum deveneris; posteà hæc omnia ad unum latus (dextrum aut sinistrum) nihil enim refert, convertes, & propè pterygoides processus tria paria musculorum investigabis. Horum primum oritur ab internô latere ipsorum processuum & in gulam fertur, qvod statim sub oculis habebis, ipsum igitur à suo principiô liberabis; postea ad aliud magis absconditum par investigandum te convertes, qvod qvidem erit in extremitate illius sinûs, qvi inter unum & alterum processum pterygoidem efficitur, ubi cranium respicit; hoc autem satis feliciter deteges, si secundùm longitudinem musculi pterygoidei cultrum demittes, videbis musculum perqvirendum transversè ascendere circà principium dicti pterygoidei & versùs acutum illum processum, qvi in extremitate palati propè ultimum dentem positus est, tendinosum fieri, flexûqve factô versùs gargareonem ferri. Qvare illô rectè detectô separationem aggredieris instituendô sectiones ex utrâqve parte ipsius musculi secundùm ejus longitudinem. Tutiùs tamen est sectiones facere à parte tendinosâ versùs principium qvantò profundiùs fieri poterit, separatoqve principio & portione carnosa, si tendinem levi negotio extra-

here cupis, proceſſum illum acutum, qvem tendo ipſe conſcendit, franges, dextrè tamen, ne ſecum tendinem lædas, qvo fracto levi negotio muſculum liberabis propè exortum. Sed non nihil intimiùs conſpicies alterum muſculum teretem, qvi ſtatìm ſeparandus eſt, in qvo opere cultrum dimittes, qvantum fieri poterit profundiùs, ut cartilagineum corpus, cui principium ipſius adhæret, ſecùm educas. His ex utrâqve parte ſeparatis, gargareonem ipſum ab extremo palato liberabis, inſtituendo ſectionem propè oſſa, id facies de ſummâ parte gulæ, qvam propè caput ſecabis, ſicqve omnia conjuncta educes; ut autem omnia ſepares, primo conſiderandum: qvomodo paria muſculorum ad unam qvamqve partem feruntur, & qvænam iſta ſint. Nos utimur hoc ordine: primò gargareonem à cæteris partibus, ſeparo, cui duo paria muſculorum aſſignantur, ea videlicet, qvæ ultimo loco ſeparata fuere, qvibus inventis ſimul cum ipſo gargareone ex utrâqve parte libero; ubi obſervo tantùm glandulas duas, qvæ à lateribus ipſius poſitæ ſunt, easqve ſtatìm ſeparo, & ſervo ſimùl cum illis cartilaginibus, qvæ ad primum muſculum reperiuntur; deindè lingvam accipio, cui tria paria muſculorum inſerviunt; horum primum illud eſt qvod ſecundo loco à proceſſu ſtyloide ſeparatum fuit & dicitur ſtyloglofſum, qvod à lateribus eſt, & ſatis patet. Secundum oritur à cornibus oſſis hyoidis & in baſin ipſius lingvæ fertur, dicitur Ceratoglofſum, hoc ab oſſe ſeparandum eſt diligenter, ne muſculi ipſius oſſis lædantur aſcendendo verſùs lingvam. Tertium in baſi ipſius lingvæ poſitum eſt, qvod nulla ferè opera eget.

Ob-

Obſerva poſteà duo paria nervorum ad ipſam lingvam ferri, qvæ cum ipſa à ceteris partibus ſeparabis; poſtea nervos ipſos à ſubſtantia tantum ſeparabis, qvo usqve aliqvi diviſione eorum conſpici qveant. Verſus acumen lingvæ obſervabis venas raninas, qvas ſeparabis, ut videri poſſint; deindè muſculos ceratogloſſos ſeparabis ulterius, ut rectè appareant; ſub qvibus obſervabis arterias ad lingvam diffuſas, qvas itidèm ſeparabis, ut conſpicui ſint, & tandèm muſculos baſiogloſſos ab invicem non nihil ſeparabis, & ſic eam dimittes. Tertio loco accipio faryngem ſeu gulæ partem ſuperiorem cum eâ œſofagi parte, qvam in ventriculi ſeparatione ipſis adhærentem reliqvi. In hâc ſeparandâ obſervandi muſculi ipſius primò; deindè ii, qvi ad alias partes feruntur; in parte itaqve ſuperiori, ubi capiti annectebatur, unum par muſculorum, qvod cultri operâ faciendum; ibi enim rudis tantum delineatio conſpicitur, ſecundum par poſtea non nihil lateraliter, illud eſt qvod à proceſſibus alaribus ſeparaſti, qvod clarè apparet, hoc à circumfuſis membranis ſeparandum, ut meliùs videatur. Tertium ceterisqve evidentius licet teres ſit, illud eſt, qvod ultimo loco ſeparatum fuit â proceſſu ſtyloide, qvod optimè videtur, major difficultas eſt in ſeparando œſofago à cartilagine thyroide, ubi cautè procedendum, ne ceteri muſculi lædantur, ductus tamen fibrarum ſecantem docet, expedit tamen potiùs œſofagum qvàm ceteros lædere. Qvarto loco os hyoides ſeparo, in qvo obſervandum tantum eſt unum par muſculorum, qvod ab ipſo oſſe ortum in cartilaginem thyroidem fertur, qvare cautè ab eo ſeparandum eſt os

& poſteà cum ſuis muſculis extrahendum, circà qvod nil aliud præſtandum, niſi qvod muſculi ab invicem ſeparandi ſunt usqꝫ ad os ipſum, præcipuè duo illa paria, qvæ à mento ſeparata fuere. Qvinto loco cartilaginem thyroidem cum tribus muſculorum paribus, qvorum unum tantum eſt illud, qvod à ſterno ſeparatum fuerat; ſecundum qvod ab oſſe hyoide, tertium qvod à ſubjectâ cartilagine cricoide ſeparandum eſt, idqve inveſtigandum in parte anteriori, ubi arctè hæ duæ cartilagines connectuntur, ſatisqve evidens eſt licet breve; ſeparandum itaqve à cricoide eſt diligenter, qvia læditur facilè ob ſuam tenuitatem, qvo ſeparato cartilaginem ſeparare oportet cautè, ne muſculi interni lædantur, qvod evitabitur, ſi nihil carnoſum in parte internâ ipſius thyroidis relinqvatur; cartilagine ſeparatâ muſculi ipſius inſpiciendi ſunt; an ſcilicet ad ſuam inſertionem usqvè ſeparati fuerint, an non; ſi primum, nihil aliud relinqvitur faciendum; ſi ſecùs, ſeparandi ſunt & dimittendi. Remanent ultimô locô ſeparandi muſculi aritænoidis cartilaginis, cui muſculi attribuuntur. Tria paria ſunt & unus ſine ſociô. Primum par cæteris clarius poſitum eſt in parte poſteriore ſuprà baſin aut latiorem partem Cricoidis cartilaginis, qvod facili negotio ab ipſâ ſeparatur ad inſertionem usqvè, inter utrumqve hunc muſculum in parte ſuperiori ſuprà cricoidem inter unam & alteram portionem cartilaginum aritænoidis poſita eſt carnoſa qvædam ſubſtantia, qvæ ſeptimum muſculum conſtituit, qvi à ſubjectis membranis liberandus eſt, ut conſpici poſſit. Tandèm duo paria muſculorum: unum anteriùs poſi-

tum

tum, alterum lateraliter, ab invicem separanda sunt, qvorum distinctionem ductus fibrarum docebit.

CAPUT XI.

De musculis dorsi & caput moventibus.

HÎc ordo ad evitandam difficultatem reqviritur. Primô supra processus spinatos omnium vertebrarum â capite ad podicem duc lineam, eamqve profundè, ut omnia integumenta communia seces, deindè duas transversales facies; unam in lumbis; alteram in collo ejusdem facies profunditatis; posteà integumenta communia junctìm separabis, ita ut in superioribus caput detegas ad altitudinem summitatis aurium, & lateraliter propè radices ipsarum, & totum collum detectum etiam habeas, in medio humeros, in superioribus, & etiam ad medium ipsius, deteges sic lumbos, & in parte inferiori portionem ossis sacri, marginem ossis ilei; indè ad musculos devenies, primò musculum separabis cucullarem seu trapezium dictum, initiô ab inferiori parte ipsius ducto, ascendendô versùs superiora, ipsum separando à vertebrarum spinatis processibus. Cùm autem ad collum pervenies, observabis ipsum non nihil fieri tendinosum propè spinas vertebrarum, deindè carnosum ascendere ad caput, in qvod membranosum inseritur; sed vera præcipuaqve insertio ejus est in scapulæ superiorem partem, seu in processibus illius spinatum, ad qvem progrediendo observabis musculum fortiter adhærere secundùm totam longitudinem processûs, à qvo aliqvantulum liberabis, & posteà dimittes, relinqvendo ipsum adhærentem ca-

piti & summo humero. Posteà latissimos dorsi dictos separabis, ducto initio ab eorum medio, & transversìm procedendo versùs vertebras, ubi difficultatem habebis circà ultimas toracis & primas lumborum, qvoniam ibi subjacet serratus posticus major, qvi facilè simùl extrahetur, si diligentiâ & patientiâ res agatur, qvia principium ipsius tendinosum, qvod à spinis harum vertebrarum habet, firmiter annectitur latissimi membranosæ productioni. Cùm hunc locum separaveris, facilè posteà tuam productionem latissimi deduces ad os usqvè sacrum, cui annexum relinqves. Deindè versùs humerum ascendens insertionem ejusdem latissimi deteges, cavendo dùm sub margine anguli inferioris scapulæ progredieris, ne rotundum musculum majorem laceres. Posteà serratum majorem separabis à spinis vertebrarum (ad costas deducendo) in qvo nulla difficultas; deindè ad superiora ascendes, & primò rhomboidem à spinis ad scapulæ basin deduces sine ullo studio præter cautionem serrati minoris, qvi rhomboidi suppositus est, ac posteà statìm separandus occurrit eodem ordine, qvo major. Post hunc splenios separabis, ducto initio à spinis & obliqvè ascendens versùs caput, observando ipsum emittere tendinem evidentem in processum transversalem primæ vertebræ, & tandèm in mastoidem terminari. Ast major difficultas erit in complexo; Circà qvem diligentiam adhibebis, observando ejusdem longitudinem, qvoniam aliqvandò ad medium toracis ferè descendit, ubi oportet diligenter progredi, ne lacerentur. Qvi circumpositi sunt illius principiis, liberabis, facilèqve ad caput deduces, qvod altiùs qvàm

fieri

fieri poterit, præſtabis, ut obliqvi ſuperiores conſpici qveant; à ſcapulæ deindè angulo ſuperiori videbis extendi muſculum, qvi ejusdem levator dicitur, hunc poſteà ſeparabis, obſervandô ipſum variis tendinibus infigi in proceſſus transverſales vertebrarum colli, qvos diligenter deteges; Poſteà deſcendes ad ſacrolumbum, qvem à longisſimo diſtare aliqvantùm videbis in parte ſuperiori toracis. Ab hoc muſculo enim advertes varios tendines emitti, qvi in ſingulas coſtas implantantur, à primâ ad ultimam. Hos tendines ſeparabis lateraliter, ut elevari poſſint; deindè corpus muſculi ſecundùm totam longitudinem à coſtis ſeparabis, relinqvendo ipſum circà lumbos adnexum longiſſimo, qvoniam ab ipſo ſeparari non poteſt, commune namqve illorum eſt principium. Ad longisſimum poſtea te convertes, qvem à ſemiſpinato in parte ſuperiori facili negotio ſeparabis, ac difficiliùs hoc erit, ubi deſcenderis, tendines hujus muſculi videbis exporrigi in proceſſus transverſales vertebrarum, qvos cum inveneris, facilè ſeparabis; ad ſuperiora cùm devenies in collo videbis portionem qvandam, à qvâ obſervabis demitti tendines, qvoniam illius longisſimi tendines ab inferioribus verſùs ſuperiora exporriguntur; hujus autem à ſuperiobus verſùs inferiora.

Hanc portionem exiſtimo eſſe muſculum transverſalem colli, ideò tendinem diligenter ſeparabis; poſtea ſpinatum aut ſupra ſpinatum deteges, circà qvem nil aliud faciendum, niſi qvod ejusdem tendines, qvos in ſpinas vertebrarum colli extendit, detegendi ſunt, hoc præſtabis, ſi proceſſus ipſos diligenter prius inveneris

&

& posteà cuspide cultri pervestigabis ipsos tendines. In parte superiori colli in spinam secundæ vertebræ ad caput videbis extendi musculum rectô ductu, qvem capitis rectum vocant, hunc à capite separabis versùs spinam, & sub ipso alterum pusillum à primâ vertebrâ ad caput pariter observabis, qvem pari ratione separabis à lateribus; à capite in processum transversalem primæ vertebræ videbis musculum carnosum, & huic in parte inferiori alterum oppositum à secundâ vertebrâ in eundem processum exporrectum; hos lateraliter separabis, relictis annexis in utroq; extremo, horum primum obliqvum superiorem, alterum obliqvum inferiorem vocant. Semispinatum postea separabis eo modo, qvo supra spinatum fecisti, deinde principium tendinosum longissimi & sacrolumbi à subjecto musculo sacro dicto separabis, observando propè os sacrum & spinas vertebrarum lumborum hoc principium solum esse tendinosum, qvare cave ne subjectum musculum laceres. Cum autem ad latus progredieris, videbis ipsum carnosum fieri, sed præcipuè, ubi processibus transversalibus vertebrarum lumborum adhæret, qvos cum separaveris, cave ne subjectum qvadratum lædas; qvod evitabis, si sectionem invertes à latere scilicet ad vertebras, hæc principia sic junctim separabis usqvè ad primam costam, & postea dimittes. Qvadratum lateraliter separabis, relinqvendo ipsum annexum in inferiori & superiori parte. Tandèm sacri musculi tendines pervestigabis eo ordine qvo in supra spinatis & semi spinatis usus est. Et sic præparationem absolves.

CA-

CAPUT XII.

De musculis faciei.

SI unqvàm in excoriatione opus fuit diligentia hîc utiqve erit; nam adeò arctè annectitur cutis in qvibusdam locis, ut sine alterutrius læsione auferri non possit, sed expediet cutim ipsam parumper secare, qvàm subjectas partes. Opus itaq; sic aggredere: in summitate capitis duc sectionem ab occipitio ad frontem & rectà descendendo per medium ipsius nasi, labiorum & menti, faciem in duas æqvas portiones divides. Hanc sectionem è regione aurium suprà caput inter secabis ad angulos rectos, descendendo propè aures in partibus anterioribus usqvè ad collum. Postea angulum factum in parte dextrâ anteriori elevabis parùm & simul cum pingvedinis pauca portione, qvæ hîc esse solet, separabis, cavendo ut totam membranam carnosam relinqvas, qvod præstabis instituendo sectionem in pingvedine: hanc separationem protrahes ad supercilia (pro ut placebit.) Postea sub pingvedine videbis membranam carnosam (capiti annexam) hanc separabis á pericranio sine multo negotio, ac ad eandem metam, ad qvam cutim deduxisti, perduces. Postea pericranium separabis à subjecto osse, qvod qvidem pericranium, si duplex facere volueris, utiqvè poteris; ast qvod ossi adnexum relinqves ab ipso separabis, dorso cultri qvasi abradendo diligenter, in qvibus levis erit difficultas. Posteà in eodem latere in parte posteriori cutim cum pingvedine separabis, relictâ pariter

membranâ carnosâ, hocqve facies usqve ad posteriora; ubi in occipitio post aures observabis annexam capiti portionem carnosam, subtilem, rotundæqve figuræ; hanc scias esse musculum occipitalem dictum, qvem à superioribus elevabis ac in parte posteriori inferioriq; annexum relinqves. Postea ad extrahendam cutim in parte sinistrâ te accinges, in qva primò scias; Te semper idem præstiturum sub ipsa, ubi patientia & diligentia opus erit, & præcipuè cum ad nasi alas & labiorum confinia deveneris ob arctam connexionem; in collo ast nisi id præstiteris in præparatione musculorum laryngis relinqvere debebis membranam carnosam (hîc verè carnosam ideò platysma myodes appellatum) maxillæ inferiori annexam, ipsam diligenter separando à cute, qvâ extractâ ad musculos devenies, & primo in fronte videbis musculum frontalem semicircularis ferè figuræ; hunc statim circumcirca separabis in superioribus & à lateribus, ac ab osse subjecto liberabis. Cùm ad clausorem palpebrarum deveneris, qvem circumtensum oculo observabis, ibi relinqves, & ad hunc separandum te convertes; in qvo nullus labor, nam circum circa tantum secandus est, ac leviter in circuitû elevandus à lateribus pariter suprà musculum temporalem, supraqve aurem videbis inscriptionem musculosam perpendiculariter extensam, qvæ à rotundo principio sensim angustatur, ac in partem superiorem auris infigitur; duas pariter alias videbis in parte auris posteriori, si cutim diligenter elevaveris, qvas in tres partes dividunt anatomici, ac tres musculos posteriores auriculæ efformant. His separatis membranam qvam muscu-

muſculo temporali ſupertenſam videbis, ſeparabis, relinqvendo ipſam annexam oſſi zygomatico. Poſtea muſculum ipſum ſeparabis, ducto initio à parte ſuperiori, & deſcendendo obſervabis ipſum tranſire ſub zygomate ac robuſto tendinoſoqve fine in proceſſum acutum maxillæ inferioris defigi. Hunc itaqve totum ſeparabis, ac ab omnibus oſſibus, (exceptô proceſſû) liberabis. Poſtea ad naſum accedes, ſuprà qvem aliqvando videbis muſculoſam perigrafiam ab acuto principio propè angulum internum oculi ſenſim ſeſe dilatandô in alas naſi deſinere, hanc itaqve tali figura ſeparabis qvam cultro finges, (ſi ſcilicet non rectè apparet) propè ipſum angulum deſcendendo à portione primi oſſis maxillæ ſuperioris obſerva pariter alteram expanſionem muſculoſam, qvæ deſcendendo partim in confinio naſi, partim in labio ſuperiori terminatur. Hæc portio conſtituit muſculum naſo & labio ſuperiori, ad cujus latus externum, id eſt verſùs aurem: Aſt parum intimius ab eôdem oſſe primô maxillæ ſuperioris videbis exporrigi muſculum pariter in ipſum labium, qvi primum ipſius conſtituit, hunc muſculum qvandoqve tanta pingvedine ſuperfuſum invenies, ut abeſſe videatur: ipſum itaqve purgabis ut appareat, & annexum principio & fine (ut & alios ſuperiores) relinqves. Poſteà ab eodem oſſe, ubi Zygoma craſſius, videbis prodire teretem muſculum ſatis longum, qvi obliqvè deſcendendo in idem labium inſeritur, hunc ſtatim à circumfuſa pingvedine liberabis, qvem aliqvando duplici principio præditum obſervabis. Deindè ab oſſe Zygomate videbis extendi muſculum

brevem qvidem, aſt carnoſum; qvi rectà deſcendendo in maxillæ inferioris angulum valido fine figitur; hunc à ſuo principio liberabis, & parum à lateribus ac fine annexum relinqves, isqve eſt, qvi Maſſeter vocatur; à cujus inſertionis latere anteriori videbis aſſurgere obliqvè non nihil muſculum ac in labium inferius inſeri; hic muſculus latior eſt in ortu qvam in inſertione, à lateribusqve tantum ſeparandus eſt, & in medio à ſubjecto oſſe ut elevari qveat. In parte anteriore menti obſcuras qvasdam lineas obſervabis recta adſcendentes; ex qvibus rectus muſculus depreſſor labiorum conſtituit baſiatorem ſeu oris sfincterem circumcirca ſeparabis. Poſtea inter utramqve maxillam, ubi os in ſufflatione tumeſcit, obſervabis rotundum muſculum, qvem buccinatorem vocant, hunc circumcirca ſeparabis, ablatâ (ſi erit) pingvedine, qvæ ſupra ipſum ſolet eſſe. Remanent adhuc duo paria muſculorum; de digaſtricis nihil dico, etiamſi ad hanc oſtenſionem ſpectent; qvoniam ſeparati fuere in præparatione laryngis, qvi pterygoides dicuntur. Interni duo totidemqve externi ſunt. Hos inverſô capite videbis à proceſſibus alaribus oſſis sfenoidei in maxillam inferiorem exporrigi, qvorum, qvi ſuperior eſt, ac in proceſſu obtuſum condylum dictum infigitur, externus eſt; alter in eundem terminum, in qvem maſſeter defigebatur, inplantatur, aſt in parte interioris hoc ab invicem ſeparabis, ut diſtinctè videri poſſint, qvod facilius præſtabis, ſi maxillam inferiorem in duas partes diviſeris in medio menti, ac verſùs exteriora convertes, tunc enim clarius apparebunt. Muſculum qva-

dra-

dratum maxillæ inferioris, qvi Platysma myodes Galeni dicitur, rectius appenſum relinqves maxillæ dextræ, ne ſit impedimento in ſeparatione aliorum. Reſtant dilatantes alas naſi & conſtringentes muſculi ab Anatomicis propoſiti; de qvibus nil dico, qvia viſum ſubterfugiunt, nec cultro effingi poſſunt, aſt ratione tantum comprehenduntur, dicta ab actione, qvæ dubio procul apparet exiſtentia; (illorum argumento.)

CAPUT XIII.

De Cerebro & Cerebello.

IN Cranii ſectione melius eſt paulò declivem facere qvàm ſupra, ut melius diſſecari posſit. Itaqve cranio ablato, duræ matris ablationem proſeqveris, in qva proceſſum falcatum ſervabis, & ſinum tertium ejusdem meningis per medium excurrentem; hoc præſtabis, ſi à parte poſteriori ad interiora facies ſectiones duas, qvæ medium includant, & una ab altera diſtet latitudine unius digiti. Qvibus peractis eas transversìm ad aurium regionem deduces relicto medio intacto, poſt duræ matris avulſionem, piam elevare poteris eodem ordine, aſt diligentia opus erit, qvia ſubtilis eſt; licet aliqvandò duram ferè æqvet. Poſt hujus elevationem proceſſum falcatum ab oſſe ethmoide ſeparabis, ac ad poſteriora convertes. Hinc in partem dextram cerebri à ſiniſtra deduces. In fundo videbis corpus albicans, qvod calloſum dicunt, ad cujus horizontem utramqve partem cerebri ſecabis; obſervandô diverſitatem ſuperficiei ab interiori portione, qvæ medulla; illa Cortex dicitur. Sub ſectione ſtatìm apparebunt anteriores ventriculi cerebri. Si autem

primâ sectione ad ipsos non perveneris, poteris diligenter cerebri portiones iterùm secare, donec ad eos devenias, in qvibus duo observabis: primo: plexum choroidem dictum; qvi nihil aliud est qvàm congeries venularum & arteriolarum, interpositis minutissimis glandulis; secundo: productionem qvandam rotundam albicantem & eadem cerebri substantia, qvæ descendendo concrescit & in latiùs principium desinit. Hanc Arantius vocavit hyppocampum seu bombycem (ob similitudinem ad hæc animalia.) Hanc diligenter proseqveris ablata portione cerebri, qvæ supposita illi est, diductoqve nonnihil plexu choroide. Si diligens eris, videbis hos sinus etiam versùs posteriora extendi, qvod asseqveris ablato diligenter cerebro per subtiles portiones. Postea speculum lucidum contemplaberis, qvod est inter utrumqve ventriculum in parte anteriori. Totum hoc interstitium diligenter elevabis, ac ad posteriora declinabis, observando, ut utrumqve bombycem eleves, hocqve interstitium fornix dicitur, cujus tria crura sunt, uterqve bombyx duo constituit, tertium crus portio illa anterior supra speculum lucidum exporrectum. Hoc igitur ad posteriora converso, si cerebrum nonnihil diduces, tertius apparebit ventriculus, in qvo versùs posteriora primò observabis glandulam pinealem, ac sub ipsa qvatuor eminentiolas albas, duas posteriores qvas nates vocant & duas anteriores testes dictas. (*In ipsâ glandulâ pineali calculum olim observavi Jenâ in cadavere juvenili apoplexiâ extincto.*) Postea in parte anteriori ejusdem ventriculi videbis duas alias eminentiolas, qvæ à posteriori versùs anteriora

riora exporrecta sunt, inter se rimulam continentes dictam: pudendum muliebre, cujus transitus est ad infundibulum, paulo verò distat, qvi anus vocatur: cavitas exigua ad spinalis medullæ sinum usqvè producta. His contemplatis ad nervos devenies, & primò elevabis cerebrum in parte anteriori, qvod diligenter faciendum, ne nervos olfactorios lædas; hos videbis residere suprà os ethmoideum, ab ipsoqve manubrio cultri diligenter elevabis; qvo peracto ad alios te convertes, ast primò opus erit secare processus latos duræ matris, qvibus cerebrum à cerebello distingvitur. In qvorum sectione cavendus est nervulus, qvi propè marginem, ubi cerebri inferiorem partem attingant, excurrit. Hoc observatô processu secabis propè ossa in circuitu, ac ad posteriora reduces; hinc si cerebrum elevabis, anteriùs videbis primò post olfactorios nervos (qvi inter septem paria cerebri haut numerantur) opticos, & sub opticis etiam motorium dictum; paulo q̃ post tertium & qvartum simul, & sub ipso nervulum distinctum in principio & in ingressu, ast qvi posteà qvartò unitur. Deindè diligenter cerebrum à latere elevabis & hinc apparebit nervus auditorius, qvi qvinto loco numeratur, & sub illo multis filamentis sextum, ac tandèm in profundo septimum contemplaberis. His consideratis ad cerebri cerebelliqve extractionem venies, secando in utraqve parte nervos omnes, qvod præstabis propè ingressum eorum in foramina ossium. Ast cum secaveris opticos, sub illis animadvertes infundibulum, qvod in glandem pituitariam vergit, & tunc glandulam ipsam è suâ sede evelles, circumcircà dissectam

ctam prius & separatam; posteâ nervorum dissectionem proseqvere, qvibus sectis, totum cerebrum abstrahe ac suprà tabulam repones inversum, ut nervos iterùm apparentes investiges. Indè infundibulum, posteà pontem, qvi nil aliud est qvàm portio cerebri, qvæ ad spinalem medullam efformandam concurrit. Suprà pontem observabis seriem arteriarum præcipuè & venarum, à qvibus rete dictum mirabile componitur. Spinalem ab his medullam à cerebro elevabis parumper, ut cavitas, qvæ inter ipsam & cerebellum est, appareat; qvartus dictus ventriculus cerebri, qvi in spinali medulla incipiens calamo scriptorio similis; calamus scriptorius vocari consvevit. Mox cerebrum aggredere, ac in medium ipsius inter utrumque lobum processum vermiformem dictum contemplaberis & si qvarti ventriculi processum diligenter investigaveris, in cerebello apparebit lata qvædam cavitas in duos ferè semicirculos distracta, qvæ Cisterna ab Arantio dicitur. Substantiam cerebelli postea considera & sic præparationem cerebri totius absolves. Restat ut extractâ durâ matre universâ, sinus ipsius repetas, qvi qvatuor numero; duo dextrorsùm sinistrorsumqve per occipitis latera cerebellum obliqvo ductu conscendunt. Hìc venæ jugularis vestigia inter ramum majorem observabis. Tertius est, qvi in medio follis continetur, seu falcati processus; qvartus infimus est inter cerebrum & cerebellum discurrens, hi omnes currum veluti efformant, cujus medius, ubi concurrunt omnes qvatuor sinus, torcular vulgò herofilianum constituit, communisqve ad singulos qvatuor cavitas est.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Oculis.

OCulos duplici modo extrahes; vel scalpro (ablatâ superiori & laterali portione ossis orbitæ; vel integra ea servata) In priori levis difficultas, si hoc tantum observes, ut propè ossa omnia separes junctìm. In secundo ast major difficultas erit, & præcipuè in angulô internô, ubi opus est ut propè ipsum os separationem perficias, & diligenter (ob nexum tendinis musculi trochlearis,) qvoniam ibi suæ trochleæ firmiter adhæret. Similiter in parte inferiori cavebis obliqvam inferiorem, unô verbô, omnia separabis propè ipsa ossa diligenter admodum. Oculo evulso primò in parte superiori videbis musculum elevatorem palpebræ superioris, qvem statim separabis ac ad palpebram deduces, simulqve circumcirca ab oculô segregabis & repones. Postea musculos oculi aggredere, priusqve trochlearem dictum investigabis, qvoniam in præparatione aliorum tendo ipsius, qvi transversìm nonnihil fertur, lædi posset; hôc separatô ad alios devenies, in qvibus si obliqvum inferiorem observaveris, nullam habebis posteà difficultatem. Musculis inventis circumfusam pingvedinem & membranosas portiones auferes oculumq; suprà tabulam extendes, nervulos ad singulos musculos assignando. Membranarum separationes ita institues: bulbum (ita rotunditas oculi dicitur) à musculis separatum à posteriori parte inchoando versùs anteriora per longum divides forfice; primam tantummodo tunicam secando in tres aut qvatuor partes, ut placebit.

Cum autem deveneris ad confinium corneæ, ligamentum observabis ciliare dictum qvod crystallinum ad pupillam vinctum tenet; hoc observato, sine humores fluere in vitrum clarum, observando an cum illis ceciderit retiformis tunica, vel non? si non, investigabis eam sub uveâ & repones. Si ceciderit, ab humoribus separabis. Postea uveam à sclirotide divides manubrio cultri & suprà tabulam extendes simul cum ipsâ durâ, & sic totum opus perfecisti. Poteris tamen crystallinum qvoqve à vitreo separare, ut ejus forma specifica pateat. *Observavi curiosè in oculis vituli: ipsi in vitro claro (amplioris orificii) per menstruum tempus (putrefactione) resolvuntur per se in humorem limfaticum (crystallinum) irinum seu materiam primam seri lactescentis (jucundissimo spectaculo.) Sapienti sat. Glandula lacrymalis est foraminulenta, ut setam porcinam in nasum admittat. Ut demonstravit olim Oculatus Prosector B. D. Rolfincius P. P. in Almâ Salanâ. Duo vasa lymfam evehentia invenit Steno; ut & puncta lacrymalia in limbo palpebrarum breves demittere canaliculos in nares desinentes, qvi demonstrantur: si cautè diffractis narium ossibus tunicæ relinqvantur integræ, mox enim ubi ossa penetraverint in sinum ampliati narium tunicæ continuantur. In externo angulo duo qvoqve foramina patentia post Aqva pendentem invenit Marchettus. Præter hæc in utriusqve palpebræ extrema ora seu tarsi internâ parte, ductus novos palpebrarum seu ostiola ultra triginta in toto limbo descripsit Magnificus D. Meibomius Senior P. P. venerandus à se observata ex totidèm distinctis glandulis; qvæ pressæ humorem fundant per ostia hæc limbi. Ast eosdem hosce ductus*

ctus

ctus hygrophtalmicos vocat Borrichius; cui qvoqve forsan (eodem tempore) visi sunt; qvos potius hygroblefarios dicendos vult Segerus. Teste Illustri Bartolino. Usus conveniens utriqve est: humorem seu lymfam oculis continuo instillare ad liberiorem motum & siccitatem oculorum impediendam &c.

CAPUT XV.

De auribus.

CIrcà auriculam levis remanet labor cum superiùs præparati fuerint ejusdem musculi; eam itaq; ab osse separabis & in parte posteriori ipsius suprà cartilaginem incurvatam omnia integumenta separabis, postea os petrosum serrâ secabis, ne cultrum intromittas in meatum auditorium, aliàs musculum externum facilè læderes. Deinde inter processum mastoideum & styloidem observabis nervulum egredientem ibi per foramen, qvem diligenter servabis. Osse purgatô ad musculos venies, qvorum primum invenies in meatu auditorio; ast cultri operâ eget, ut formam acqvirat. Ideoqvè inferiorem partem ipsius meatûs scalpro auferas, (cavendô, ne laceres membranam tympani, qvam deteges, ut videri commodè qveat;) dein musculum videbis in parte superiori, (sed potiùs membranam credes qvam musculum,) crassior nihilominus est & membranis carnosior, ideoqve pro musculo habetur. Cultrô parumper efformabis separabisqve ab osse & ad membranam usqvè deduces. Secundus musculus qvi internus dicitur, in situ osseo proprio latitat; qvi situs est supra ingressum venæ jugularis internæ. Itaqvè

è regione prioris musculi videbis versùs partem acutam ejusdem ossis petrosi ingressum venæ, aut saltem foramen, qvod ingrediebatur suprà hoc foramen nonnihil lateraliter versùs partem internam capitis progrediendo versùs tympanum, si os diligenter scalprô fregeris, observabis teretem, (licet pusillum musculum) qvi exteriùs progrediens in tendinem desinit, qvi parùm assurgens in malleum inseritur; ubi opus est diligentiâ ob ipsius exilitatem, & præcipuè cum tendinem ex totô separare volueris ab osse, ut clarè appareat ejusdem insertio. Hoc præstabis cuspide cultri. Ast in nervis major est difficultas & præcipuè in eo, qvi sub malleo excurrit, hoc tamen sic investigabis: Primò in osse, in qvo hos nervos præparare volueris plexum Mastoideum & styloideum auferes, totamqve partem inferiorem meatûs auditorii; item musculum externum & membranam tympani, in qvâ extrahenda cave ne nervulum lædas, is enim excurrit sub malleo propè marginem foraminis tympani, qvi meatum respicit, membrana detracta & nervulo observato, os ipsum scalpro deradere & nervos detegere incipies, ducto initio, ubi exeunt simul inter processum mastoidem & styloidem, (ut dictum est.) Hinc versùs tympanum ascendens audacter, ast cùm parumper detexeris, cautiùs incedes donec conjunctionem utriusqve reperias, qvam investigabis, deradendo os summa patientia; ea inventa crassiorem dimittes nervum, ac solius minoris curam habebis, progrediendo versùs ingressus illius in os, qvod non procul â malleo observabis, versùs ipsum igitur ascendens abradendo leviter & diligenter os donec nervu-

lum

lum detegas, qvem à suo canaliculo extrahes cuspide cultri. Postqvàm ex toto detexeris, qvô factô negotiô, crassiorem paulò ulteriùs detegere poteris, ast parum qvoniam nimis profundè demergitur. His sic præparatis ad ingressum nervi auditorii accedes, & progressum illius deteges scalpro, donec in duas partes divisum videas. Hinc dimissa molliori parte, qvæ in cochleæ centrum inseritur, ad alteram ulteriùs detegendam proseqveris, ubi diligentiâ opus erit, qvia facilè frangitur. Posses postea serrâ transversum os secare propè insertionem nervi mollioris, sic enim cochleæ cavitas apparebit. Ast hîc opus est se exercere in siccatis ossibus, multumqve prodest nervorum in istis investigare progressum, qvoniam licet absint nervi eorum, nihilominus canaliculi rectè apparent.

Caput XVI.

De *musculis brachii.*

BRachium primò à corpore separabis largiter secandô. Posteà illud excoriabis, ubi nulla difficultas, nisi in volâ manus; qvia tendo palmaris musculi fortiter adhæret cuti, & si aliqvâ diligentiâ uteris, non habebis difficultatem. Cute extractâ musculorum partes superfluas in superioribus abjicies. Primò anteriùs pectoralis portionem relinqves, ut insertionem ostendere possis; deindè serratum minorem, & sub clavium ex toto separabis, sic posteriùs relicta portione latissimi dorsi, serratum anteriorem majorem à scapulæ basi; item rhomboidem levatoremqve scapulæ & cucullaris portionem; postea ad duos musculos separandos

accedes, & primò deltoidem separabis à clavicula & à processu spinato scapulæ, undè originem sumit, & descendendo eum produces ad insertionem suam. Postea suprà spinatum separabis & infra scapularem seu immersum; indè rotundum majorem, in qvibus nulla difficultas. Investigabis præterea rotundum minorem, qvi aliqvando vix ab infrà scripto secernitur; difficultatem superabis, si ad insertionem in os humeri recurres, qvam distinctam invenies, & posteà retrò cedendo unum ab altero separabis: deindè infrà spinatum à scapula liberabis. Scias tamèn rotundum utrumqve relinqvendum esse principio & insertioni suæ annexum; hac occasione poteris deducere portionem latissimi ad suam insertionem. Deindè ad cubiti flexores & extensores devenies, & primò anteriùs flexores separabis, qvi duo sunt: biceps scilicet & brachieus; propè unum ex principiis bicipitis, imò ipsi annexum videbis musculum coracoidem dictum, qvem à bicipite separabis, dein ipsummet bicipitem, in qvo levissimus labor. Brachium pariter ab osse humeri (suô principiô annexô relictô) liberabis; posteà extensores cubiti, qvi tres ab aliqvibus numerantur, qvorum primus à scapulæ cervice originem sumit, alter infrà caput humeri, tertius inferius, hos in suis principiis ab invicem divides, ast in progressu junctos relinqves, qvia impossibile est eos sejungere absqve enormi laceratione. Ad manum posteà devenies, in qva ordo vix dici potest, ast musculi separandi sunt, prout se offerunt, qvod si aliqvis scribi (ordo & methodus) debeat; talis esse poterit: (ut Myologia.) Primò musculos flexores dictos separa,

&

& inter hos priùs palmarem, qvem continuô modô, qvo ſoles in aliis uti, ſeparabis, relinqvendo ſcilicet eum annexum ſuæ origini & ſeperando ab inſertione; in qva obſervabis, ut expanſum ejus tendinem per volam manus latiorem, qvo fieri poterit, relinqvas. Hic muſculus aliqvando abeſt; aſt tendo ſemper reperitur, tuncqve oritur â ligamento oſſium carpi, cui annexum relinqves. Poſteà diſſecto eodem ligamento apparebunt tendines, flexores digitorum, at priùs ſeparare poteris flexores carpi, qvorum unum ad pollicis baſin, alterum ad minimi digiti oſtendere videbis. His ſeparatis ad flexores digitorum devenies; & primò obſervabis duos amplos muſculos, qvi in plures poſſent dividi, horum qvi externus eſt, flexor ſecundi internodii & forator dicitur; ſubjectus verò perforans, & flexor tertii internodii vocatur. Hos primò ab invicem ſeparabis, ducto initio à tendinibus in carpi regione, obſervando, uti unicuiqve qvatuor relinqvantur tendines. Poſtea ſeparabis, in qvibus levis erit labor, ſi ſcias ſuperiores ad ſecunda internodia ferri, & in duas findi portiones propè inſertionem, ut aditum ſubjectis præbeant. Inferiores aſt diligentius ſeparabis & obſervabis ipſis annexos muſculos lumbricales, qvos ſtatim ſeparabis; dein tendines flectentes tertium internodium deduces ad ipſa internodia. Poſtea flexorem tertii internodii pollicis ſeparabis, qvi craſſus & magnus eſt, ac ſine labore ſeparare poteris; Poſtea à ligamento carpi videbis carneum corpus aſcendere ad radicem ſecundi osſis pollicis. Hoc corpus in duas divides partes, & ſic duos abductores pollicis habebis. Poſtea in

vo-

volâ manus obſervabile latum & expanſum corpus carnoſum, qvod ad pollicem pariter tendit, ac è regione ſuperiori inſeritur, hoc in qvatuor partes dividendum eſt, qvarum tres diſtinctæ apparent, aſt qvarta fere beneficio cultri facienda eſt. His ſeparatis brachium invertes, & ad extenſores devenies, in qvibus ferè ordinem eundem, qvem in flexoribus, ſervabis; nam extenſores ſecundi & tertii internodii ſimul ſeparandi ac ab invicem ſegregandi ſunt in principio, at in progreſſu tendines ſeparari neqveunt; ideò junctìm deducendi ſunt ad tertium internodium usqvè. Mirum hîc obſervabis luſum naturæ; nam aliqvandò extenſor ſecundi internodii minimi digiti abeſt; qvandoqve in uno digito duplex obſervatur, modo cum extenſore pollicis communio reperitur, & aliqvando carpo adhæret aliqva portio. Itaqꝫ prout videbis naturam feciſſe, ſic tu cultro facies. Poſt hos ſeparabis extenſores carpi, item pronatores radii, longum paritèr ſupinatorem utrumqꝫ & pronatorem qvadratum, qvem ab ulna ad radium deduces. Pariter ſeparabis extenſorem pollicis; in qvibus omnibus levis reqviritur labor. In cubito, ſi rectè obſervabis, videbis diſtinctam portionem carneam transversìm incedentem, qvæ muſculum anconeum conſtituit, hunc à lateribus ſeparabis, ac ortui & inſertioni annexum relinqves. Qvibus omnibus ſeparatis, ad internodios oſſeos accedes, hos levi negotio ſeparabis, ſi digitos ab invicem diduces ac ligamentum inter utrumqꝫ poſitum in fine metacarpi & principio digitorum ſecabis, qvia ſtatìm apparebit inſertio internorum & externorum in parte ex-

externâ manus propè os metacarpi,qvod minimô digitô ſubjicitur, ſeparabis abductorem ejusdem minimi digiti; ſic à pollice ad indicem videbis muſculum ſingularem,qvem pollici alii aſſignant, ego indicis eſſe exiſtimo. Dum extenſores carpi ſeparabis; obſervabis propè illum, qvi verſùs pollicem fertur alium muſculum, qvi oſſi metacarpi, qvod indici eſt ſubjectum, infigitur ac indicator dicitur. Obſervabis carpi extenſores multoties ferri in Metacarpum; præcipuè illum, qvi pollicem reſpicit. (De his ſatis.)

CAPUT XVII.

De muſculis pedis.

IN ultimâ hâc operatione non ſpernendus reqviritur labor ob muſculorum multitudinem. Suppoſitô igitur, qvod ſine cadavere toto muſculos pedis ſingulos demonſtrare velis,primò muſculum Pſöas à lumbis ſeparabis, deſcendendo verſùs femur, donec ejus continuationem cum iliaco interno reperias; poſtea eum dimittes, & in parte poſteriori omnia ſecabis propè os ſacrum ſecundum ejus longitudinem, qvod rectè propè os facies. Deinde oſſa pubis ab invicem ſeparabis; poſtea cuſpide cultri perveſtigabis conjunctionem oſſis ſacri cum ileo & hanc ſecare tentabis, qvod fiet feliciter. Deinde vî deduces præparandum femur ab altero, itaqve ex totô ſeparabis, ac ſuprà tabulam repones,ac ad ejus excoriationem accedes. In qvâ primò tibi obſervandus venit tendo muſculi membranoſi,qvi totum femur & crus involvit, hunc ſervabis. Si primam ſectionem facies diligenter in parte externâ, ob-

servabis illum sub membrana carnosa; qvo reperto, non multùm laborandum erit; solùm circà plantam pedis res ardua erit. Ubi cavendum, ne expansionem tendinosam, qvæ sub ipsa protenditur, lædas, qvod facilè evitabis patientia. Cute extracta primò separabis musculum iliacum internum ab osse ileon, usqvè ad insertionem suam cum Psöas. Deinde ad membranosum devenies; hunc invenies faciliùs in portione sui tendinis seu membranæ in parte interna, supernaqve femoris separabis, ac versùs ipsum ascendens, qvo reperto, ab osse separabis, ac versùs inferiora deduces. In separatione autem istius musculi non est necesse, ut totum tendinem serves, sed satis erit, si portionem integram relinqvas & eam anteriorem; ut possis ostendere concurrere illum qvoqve ad involvendam patellam. Hoc musculo separato, sartorium divides, & postea ipsum lividum, qvem ab osse pubis transversìm in femur ferri observabis. Ast ab ipso descendendo separabis bicipitem, qvem relinqves adhærentem toti longitudini lineæ asperæ femoris, post qvos poteris rectum separare; item vastos & crureum, in qvibus nulla difficultas, uti etiam in gracili & semi nervoso, semimembranoso & bicipite; si tantum caveas partem inferiorem hujus musculi, qvæ originem trahit à medio femore. In parte superiori gluteos tres observabis separabisqve, qvorum major infrà trochanteres descendit, medius autem & minor in trochanterem minorem inseritur. In parte posteriori, ubi os sacrum adhærebat, paulò infrà conjunctionem ejus cum ileo, pyriformem videbis musculum, qvi transversìm fertur

in

in ſinum trochanteris, hunc ſeparabis,& poſtea ad obturatorem internum venies, qvem in parte internâ foraminis, (qvod oſſi pubis aſſignatur) expanſum videbis; hunc circumcircà ſeparabis animadvertesqve ipſum ferri ſuo tendine ſuprà tuberculum oſſis; qvi facto flexû in marſupium recipitur, ac in trochanterem deſinit. Sub uno videbis qvadratum, qvem à lateribus ſeparabis; poſtea ad obturatorem externum devenies, qvem ut rectè ſeparare poſſis, oportet lividum à ſuo principio ſeparare, tunc obturatorem obſervabis facto flexû transversìm ferri in trochanterem, ad qvem deduces pauco labore. Poſtea ad muſculos tarſi accedes, qvos ſeparabis, prout ſeſe offerent, in parte poſteriori primo gaſterocnemios, & ſub eis ſoleum habebis. In parte at ſuperiori inter utrumqve plantarem dictum, (puſillum ſed conſpicuum) & eo magis mirabilem, cum naturâ eum collocârit inter tot vaſtos. Sub his videbis transversìm ſub poplite muſculum dictum ſub popliteum, qvem à lateribus ſeparabis circà flexores ac extenſores. Eadem ferè eſt ratio ac in manû; differunt tamen, qvod flexor ſecundi internodii oritur in planta pedis ab oſſe calcis, & flexor tertii ex eodem loco carneam recipit portionem, à qva poſtea lumbricales oriuntur. Aſt ut hos muſculos detegere poſſis, opus erit tendinoſam expanſionem ibidèm exſiſtentem ſeparare, relinqvendo illam calci annexam. Poſtea abductorem pollicis & minimi digiti ſeparabis, & hîc etiam obſervabis adductorem majorem pollicis & minorem; aſt minorem cavebis diligenter, qvia transversìm fertur, & aliqvandò adeò puſillus eſt, ac in

pingvedine adeò involutus, ut vix obſervari qveat, niſi ſummâ adhibitâ cautione. Circà extenſorem digitorum obſervabilis eſt extenſor ſecundi internodii in dorſo pedis oriundi, qvi ſuis tendinibus conjungitur cum extenſore tertii, ut in manibus qvoqve fit; reliqvos extenſores & flexores, prout ſeſe oſtendent, ſeparabis; indè lumbricales & inter oſſeos, ut in manû. Reliqvum eſt, ut patientia rei magnitudine compenſetur.

CAPUT XVIII.

Speculum anatomicum corporis humani partiumqve præcipuarum uſum demonſtrans (vid. œconomia corporis animalis D. *Bonii P. P.)*

Nemo poteſt rectè curare morbos, niſi priùs univerſi corporis naturam perſpexerit I. M. M. c. 2. Aliàs majori fortuna qvàm prudentia, qvis ægrotis mederi videbitur (*ut empiricus miſer.*) Scitè igitur & ſapienter, ut cætera, Galenus; Metodum acqvirendæ partium cognitionis proponens, eam diligenti diſſectione & ἐγχειρήσεων ἀνατομικῶν beneficio comparari aſſerit. 2. *ad Glauc.* 1. Tantum nunqvàm tribuendum librorum abundantiæ, qvantùm oculari demonſtrationi & fideli autopſiæ, qvam unicum opus, unicum ſtudium eſſe vult, *Idem l.* 1. *adm. anat. c.* 2. 2. *Uſ. p.* 3. Vera tamen plurima, partim Gal. in L. de uſ. p. & admin. anat. partim Ariſt. de partibus, hiſtoria & generatione animalium reliqvit, qvæ recentior ætas utiliſſimis obſervationibus auxit. Decet aſt inprimis anatomiæ ſtudioſum μεγαλοψύχον καὶ θυμώδη maganimum & animoſum

moſum eſſe, ne corporum, violentâ morte extinctorum, contrectationem exhorreſcat. *Etenim anatomia eſt artificioſa diſſectio partium corporis, eum ob finem à Medicis inſtituenda, ut præter cujuslibet partis uſum ſingularem, è vitâ defunctis certius diſcant, qvid in vivis pro ſanitatis tutelâ moliri poſſint.* Hinc & medico & filoſofo utilis eſt, ut rationem reddere qveant affectionum, ex I. *part. anim.* I. Eligendum aſt pro ſubjecto ex animalium ordine eſt corpus humanum ut perfectiſſimum; aut qvod ad ejus fabricam proximè accedit, inqve partibus conformatio & uſus ſeu actio præcipuè conſideranda. (*Origo ipſi in utero materno ex fœcundo parentum ſemine eſt.*) Partes ejus duplices: ſimilares & diſſimilares; qvarum illæ ad harum conſtitutionem pertinent. Ante diſſectionem univerſum corpus in 3. ventres & artus rectè diſtingvitur. Ventres ſunt inſignes cavitates & velut corporis regiones, intrà qvas natura partes, habitudine & actione diverſas collocavit: *Infimus*, (*à qvô anatomen ordimur*,) expanſo peritonæo à cartilagine enſiformi ad uſqve oſſa pubis definitus, abdomen appellatur. *Medius; torax*, (obtenſâ pleura circumſcriptus;) fontem vitalis caloris Cor & ejus ventilabra pulmones poſſidet. *Supremus;* caput, robuſtis cranii velut mœnibus, cerebrum, ſenſorium commune, comprehendit ac tuetur, & qvicqvid prima colli vertebra terminatur, includit. Qvibus regionibus medici tres generales facultates aſſignare, iisqve inſtrumenta peculiaria ſubjicere ſolent; ut infimo naturalia, Medio vitalia; ſupremo animalia ſubſerviant. (*De ſuperiore ventre vid. Willis. in*

anatomia cerebri.) Inter naturalia dominium obtinere (juxtà cor) videtur hepar (*ut officina secundaria sangvificationis*) pars dissimilaris in dextro reposita hypochondrio; vi παρεγχύματος recurrentem venæ portæ sangvinem, & novum è chylo ven: lact: à se elaboratum ad venæ cavæ propagines trajiciens, ut cordi perfectior offeratur. Ad illius actionem lien occurrit, viscus sinistri hypochondrii; susceptum chylum calore suo in sangvinem coqvens, & refluum in venæ portæ trunco sangvinem tàm pulsu; qvàm dilutione per hepar ad cor promovens. (*ut officina depurationis.*) Inter qvæ duo viscera interjacet *ventriculus*, (χυλώσεως officina:) cui intestina, mesenterium, omentum, pancreas operas suas diversimodè locant. Renibus ast separatio seri à sangvine debetur, qvod separatum dein per ureteres ad vesicam colligitur, & statutis temporibus excernitur. (*Hinc indè urina in jecore generatur; in renibus percolatur; in vesicâ p. t. retinetur.*) *Uroscopia nunqvàm contemnenda* (*ex crassâ ignorantiâ anatomicâ.*) *Ast urinæ mutatio à sangvinis motu intestino p. n. aucto perturbatoqve ortum trahit, dum hæc contiuuo sangvinis* (*per arterias emulgentes*) *in renum substantia impulsu per nullam digestionem; præcipitationem, fusionem, fermentationem aut attractionem, sed solam renum vasculo-glandulosam texturam in illis secernitur & excernitur* (*præcipitatione naturali*) *glandulæ enim renales urinæ sunt organum excretorium; tubuli ast sunt fibræ glandulis his continuæ porosæ; canaliculosæ maximam renum compagem spongiosam* (*sui generis carnosam*) *constituentes excretorium:* (*à particulis secretis*) *excretisqve colorem* (*ut sulfur*)

fur) consistentiam (terream,) & contenta (oleosa) ∴ accipit; hinc M. S. *viscerum crasi & discrasia illarumqve particularum constitutione vid.* Malpig. *de renibus p. m.* 288. *ut verum fatear, in corpore præter pulmones non est alia pars, qvæ exundantis sangvinis injuriis magis subjiciatur ejusqve vitia facilius indicare compatiendô possit qvam renes. E. non contemnendum signum exhibet illis, qvi norunt, à talibus particulis talem seu talem modificationem lucis (à sulfure) contingere, ex qvâ (in microcosmi mare mediterraneo) hujus seu illius coloris affectio produci potest. E. color nihil aliud est qvam lux (sulfur) in corpore poroso diversimodè modificata & ad oculos reflexa, ut de sangvinis colore flammeo (qvalis freqventiùs in febribus occurrit) verosimiliter colligi potest (eruditâ conjecturâ) illum à varia modificatione particularum superficialium sulfurearum oleosarum seu aliarum à salinis (ope motûs intensioris) exaltatarum dependere, qvâ lux ad oculos inde repercussa ita disponitur, ut talibus diversis deindè pressionibus organa visus nostri irradiat in Uroscopia (Sapienti sat.)* Præter has partes, alimenti elaboratione individui sustentationi inservientes, aliæ qvoqve generationi ac speciei conservationi utriqve sexui sunt. In mare qvidem ad seminis productionem comparata sunt vasa præparantia, pampiniformia, epididymides, testes, parastatæ variciformes, vasa deferentia. Ad ejusdem ast effusionem vasa ejaculantia cum membro virili. In fœmina at seminalis materiæ proventum spectant vasa præparantia, testes, vasa perficientia, qvibus continuantur excernentia; fœtus conceptionem uterus. A naturalibus hisce infimi ventris seclu-

secluduntur interventu diafragmatis vitalia organa Medii, Cor & pulmones. *Cor* est pars organica ex binis ventriculis & auriculis alternatim, (dum vita superest) pro caloris vitalis per sangvinis motum continuatione se contrahentibus & relaxantibus, tantô extructa artificiô, ut summa prudentia & potentia naturæ in ejus structura confluxisse videantur. Hinc inter omnia viscera facilè princeps est, cum reliqvarum facultatum qvasi basis & fundamentum sit, sedes & fomes ignis nativi; scaturigo spiritus vitalis, domicilium animæ; primum vivens & ultimum moriens. Eo enim vigente, omnes actiones vigent; langvente langvent, qviescente planè abolentur. Adeoqve solum hoc in corpore regit & imperat, propriaqve autoritate (præside archæo microcosmi) agit; reliqva ab hujus nutu dependent. Nam ut in politicis, ita in fysicis πολυκοιρανίη οὐκ ἀγαθόν. Ipsi utrinqve adsistunt pulmones; calorem pectoris (respirationis usû) ventilantes formandæqve in laringe voci äerem suppeditantes. Porrò animali facultati cerebrum, sensu umqve particularium & motus voluntarii organa subjiciuntur. *Cerebrum* pars est dissimilaris è puriore seminis portione producta, substantiâ suâ fungosâ combibitos spiritus vitales in animales elaborans, & ad continuatam sibi spinalem medullam derivans ventriculorumqve cavitatibus redundantes humiditates expurgans. Sensuum particularium, seu externorum organa sunt oculi visui; aures auditui; nares olfactui, lingva gustui, partesqve membranosæ tactui inservientes. Motus ast voluntarii instrumenta partes musculosæ habentur.

Mem-

Membranæ sunt partes similares, tenues, latæ, pellucidæ, sensu exqvisitô præditæ, è lentâ & viscida seminis portione genitæ ad partes alias muniendas, & à se invicem distingvendas. Musculi sunt instrumenta motus voluntarii, è fibris nervosis & carneis conflata, ὄργανα τῆς κινήσεως καθ' ὁρμὴν *Aristot.* dicta, & *Gal.* 10. de Us. p. 9. Nominis ratio est, qvod pleriqve murem referant excoriatum, vel musculum oblongum piscem; vel ἀπὸ τοῦ μύειν, qvod est contrahere. (Contractio est eorum propria actio.) (Hinc vulnera musculorum utplurimùm periculosa.) Hæc de corporis ventribus; qvorum medio & infimo artus, communi manuum apprehendentium, pedumqve ambulantium significatu notati adaptantur. (*Reliqva vid. apud Stenonem & Bartolinum.*) Ne autem hactenus allatæ corporis partes injuriis qvibusvis externis expositæ perpetuò læderentur; natura qvatuor integumentis munivit; cuticulâ cute, pingvedine, & membrana carnosa. Cuticula est pellucida, tenuis & albicans membranula, cuti arctè cohærens, eamqve obtegens. Cutis est velamentum membranosum & porosum, pilisqve passim obsitum, qvod partibus inductum fuligines emittit, injurias externas abercet, & tactilium qvalitatum excessus metitur. Cuti substrata pingvedo, substantia corporis unctuosa est; ex oleaginea & proportionata materia producta, qvæ penetrabiles frigidi noxas excludit & immodicam humidi absumtionem prohibet. Sub pingvedine corpori circumtenditur membrana seu panniculus carnosus, è membrana fibrisqve carneis musculosis compositus. Néve laxa systematis moles colla-

beretur,carnibus ossa pro sustentaculis adjecit, qvæ sunt partes præ cæteris sicciores & duriores, ad totius fulcimentum,nexuum firmitatem & motus voluntarii robur affectæ. Qvamobrem variè & concinnè inter se aptantur,atq; junguntur, ut flecti,extendiq; possint. Qvin ut motus voluntarius esset commodior, extrema ossium cartilaginibus Dædala natura lubricavit,qvæ sunt partes frigidæ & siccæ, è crassa seminis portione,caloris vi concrescente, ad motuum varietatem & facilitatem efformatæ. In qvâ motus agitatione, ne ossa facilè divellerentur, arctissimis vinculis colligavit, qvæ ligamenta nominamus. Eademq; provida parens extremis digitis tàm ad apprehensionis robur,qvàm incessus,securitatem ungvium laminas veluti clausulas apposuit. Deniqve ne è laborum freqventiâ partes, seu publico seu privato bono operentur, fatiscerent, vasorum canales prolongavit,& sangvine ac spiritu affatim transeunte earum communi indigentiæ prospexit. Nam qvemadmodum arteriæ sangvinem, commune alimentum, vitali flammâ accensum in universi corporis tractus à corde propulsum diffundunt; ita nervi spiritum sensus & motus autorem, è cerebro qvaqvaversus transferunt. Venæ autem utrumq; liqvorem è partibus,qvo minùs subsistens ipsis oneri sit cum corruptionis periculo, retrahunt & valvularum in capacitate repositarum,adminiculo ad Cor derivant,ut ejus calore redintegretur,& denuò partibus impertiatur; hacqve ratione vitalis flamma cum sangvinis motu reciproco continuetur & conservetur. Vasa autem ista, ne, dùm suspenduntur aut divaricantur,periclitentur,glandulæ fulciunt & densio-

res

res & rariores, qvæ etiam humiditates abſorbent; ut in pancreate mammis, tymo, aliisqve videre eſt. Atqꝫ hæc obiter pro inſtituti ratione deſignata ſufficiant: qvibus ſatis patet: naturam in vitæ noſtræ conſervandæ neceſſariis neqvè defeciſſe, neqꝫ abundâſſe.

CAPUT XIX.

De Sanitate perfectâ.

SAnitas eſt ſpirituum ac fermentorum, à qvibus omnis functio eſt (*in microcoſmo* (conſtitutio debita ac naturalis (*poteſtatum vigorem appellat eam* Illuſtris ab Helmont.) atqꝫ hoc ipſo fit, ut functiones omnes totius œconomiæ animalis ritè rectèqꝫ ſe habeant, atqꝫ ſic ſumus ſani dum ſtomachus benè concoqvit cibum, impreſſo aciditatis ſuæ temperatæ charactere, acidum à bile transmutatur in ſalſum ac ſeparantur excrementa; qvorum non minùs ac ſtercorea corruptio à fermento eſt; liberè tunc chylus ſangvinem influit, jugi cum eô motu in ſimilem ſubſtantiam abit ſeu ſeparatur pro indigentiæ ratione in gratiam ſeminis, lactis. Sangvis ipſe dùm in vivifico ſuo motu impedimentum non patitur & particulas ſuas volatiles balſamicas in ſpirituum pabulum ſeu materiam concedit, illiqꝫ luce vitali debitè inſigniuntur, in organis dein functiones ſuas perficiunt ſuperfluum cum ſudore & urinâ abit. Idqve omne à cauſis, ſpiritibus ac fermentis. Hæc eſt anatomia ſeu conſtitutio ſanitatis. Vita aſt formaliter in luce conſiſtit, & mors eſt extinctio Luminis vitalis (*Myſticè: mors temporalis in ſacris ſomno comparatur, & dicitur mors prima; (aſt ſecunda mors eſt propria damnatorum, & vocatur corpo-*

ris

ris & animæ æternalis vid. apoc. 2. *v.* 11.) Galenus dicit: *Sanos esse, qvi actiones debitè perficiunt; ast hoc est ab effectu judicare & ita* pulcritudo, *juxtà Aristotelem sanitatis effectus, definitionem ingredi deberet.* Causam sanitatis temperiem statuunt veteres; ast illa unionem mixtionis non ingreditur. Organica ast informatio & unitas in mortuis superest. Sennertus dicit: *Sanitatem esse accidentalem*, qvod dubium videtur. Ast secundum nos: spiritus & fermenta essentialia sunt. Hinc sanitas est potentia actiones exercendi à constitutione regulari spirituum & naturali dependens: Subjectum *partes solidæ, humores, spiritus.* Causa *formalis; anima; materialis; partes.* Causa efficiens intrinseca: *temperamenta, organitas, unitas.* Causa extrinseca: *res suprà naturalis*: Deus. Causæ non naturales sex, *aër, cibus, potus, &c.* Effectus sunt *actiones animales, naturales, vitales. Excreta; retenta; qvalitates; color &c.*

Sapienti sat.

Θεῷ ὑψιμέδοντι ἔπαινος!

ANNO M DCC. qvo orbis Christianus jubilat!